
NEDL TRANSFER
HN 5XPD U


SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE



GNOMOLOGIA.



GNOMOLOGIA

SIVE

VETERUM LATINORUM SENTENTIAE QUAE AUT QUID SIT AUT QUID ESSE OPORTEAT IN VITA BREVITER OSTENDUNT.

COLLEGIT

C. E. GEORGES.

LIPSIAE
SUMPTIBUS LIBRARIAE HAHNIANAE.
MDCCCLXIII.

1866, Dec. 18.
Salisbury Fund.

FRIDERICO. LUDOVICO. HENRICO. EGGERT.

SERENISSIMI. MEGALOBURGIORUM. MAGNI. DUCIS.
INCLITAE. PROSAPIAE. STRELITIENSIS. A. CONSILIIS.
SCHOLASTICIS.

LIBERALI. DOCTRINA. ATQUE. OPTIMARUM.
ARTIUM. STUDIIS. ERUDITISSIMO. PHILOLOGO.
OMNIUM. ET. VIRI. ET. HOMINIS. VIRTUTUM.
AUCTORI. ATQUE. EXEMPLO.

HOC. OPUSCULUM.

SACRUM. ESSE. VOLUIT.

CAROLUS. ERNESTUS. GEORGES.

Quod tibi, mi Eggerte, misi tenue munusculum, benigno, quo semper in me fuisti, animo accipe. Nam ex quo in Tuam notitiam veni, tantam benevolentiam ac tantum favorem mihi praestitisti, ut oratio me deficiat, si Tuam magnitudinem multitudinemque beneficiorum, quam in me contulisti, enumerare velim. Quam ob rem hanc occasionem amplectendam putavi, ut palam profiterer in perpetuum me Tibi magnis Tuis beneficiis magnisque meritis obligatum esse neque umquam eorum memoriam

ex animo memori gratoque esse discessuram. Persuade Tibi Te a me non solum diligi, verum etiam amari atque semper amatum iri. Faxit deus, ut prospera utare valetudine et utare usque ad summam senectutem. Vale, optime Eggerte, et mihi favere, quod facis, perge. Dabam Gothae Kal. Januar. MDCCCLXIII.

Abstinentia.

Quanto quisque sibi plura negaverit,
ab dis plura feret. HORAT. *carm.* 3, 16, 21 *sq.*

Vina fugit gaudetque meris abstemius undis. OVID. *met.* 15, 323.

Est virtus placitis abstinuisse bonis. OVID. *her.* 17, 98.

Adhortatio.

Acer et ad palmae per se cursurus honores,
si tamen horteris, fortius ibit equus. OVID. *ex Pont.* 2, 11, 21 *sq.*

Accusator.

Accusatores multos esse in civitate utile est, ut metu contineatur audacia; verum tamen hoc ita est utile, ut ne plane illudamur ab accusatoribus. CIC. *pro Rosc. Am.* 20, 55.

Oportet esse in civitate et accusatores: alioqui omnia mittuntur ad manus, omnia mittuntur ad ferrum. QUINTIL. *Decl.* 313. p. 212 *ed. Bip.*

Admonitio.

Admonitio taedium facit, exprobratio odium. SEN. *de benef.* 2, 11, 6.

Memorem immemorem facit qui monet quod memor meminit.
PLAUT. *Pseud.* 4, 1, 30 (940).

Monitio acerbitate careat. CIC. *de amicit.* 24, 89.

Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte,
respuit atque odio verba monentis habet. OVID. *rem. am.* 123 *sq.*

Amicum in secreto mone, palam lauda. SEN. *de mor. no.* 12.

Adolescens. Adolescentia.

Decet verecundum esse adolescentem. PLAUT. *Asin.* 5, 1, 6 (833).

Adolescens quom seis, tum quomst sanguis integer,
rei te quaerendae convenit operam dare. PLAUT. *Merc.* 3, 2, 7 (550) *sq.*

Qui adolescentium peccatis ignosci putant oportere, falluntur, propterea quod aetas illa non impedimento est bonis studiis; at ei sapienter faciunt, qui adolescentes maxime castigant, ut quibus virtutibus omnem vitam tueri possint, eas in aetate maturissima velint comparare. CORNIF. *rhet.* 4, 17, 25.

Studia in adolescentia tamquam in herbis significant, quae virtutis maturitas et quantae fruges industriae sint futurae. CIC. *pro Cael.* 31, 76. — *Cf.* **Juvenis.**

Adulatio.

Adulatio quam similis est amicitiae! non imitatur tantum illam, sed vincit et praeterit. SEN. *epist.* 45, 5 (7).

Sic habendum est nullam in amicitiis pestem esse majorem quam adulationem, blanditiam, assentationem. CIC. *de amicit.* 25, 91.

Semper magnae fortunae comes est adulatio. VELL. PAT. *hist. Rom.* 2, 102, 3.

Adulatorum et prava laudantium sermo diutius haeret quam auditur. SEN. *epist.* 123, 8 (9).

Pauci reges, non regna colunt. SEN. *Herc. Oet.* 617.

Adversae res.

Habet in adversis auxilia, qui in secundis commodat. P. SYRI *sent.* 513.

Adversae res admonent religionum. LIV. *hist.* 5, 51, 8.

Adversarum impetus rerum viri fortis non vertit animum. SEN. *de provid.* 2, 1.

Rebus angustis animosus atque
fortis appare. HORAT. *carm.* 2, 10, 21 *sq.*

Aequam memento rebus in arduis
servare mentem. HORAT. *carm.* 2, 3, 1 *sq.*

Vivite fortes
fortiaque adversis opponite pectora rebus. HORAT. *sat.* 2, 2, 135 *sq.*

Convivatoris uti ducis ingenium res
adversae nudare solent, celare secundae. HORAT. *sat.* 2, 8, 73 *sq.*

Poscunt fidem secunda, at adversa exigunt. SEN. *Agam.* 934.

Rebus in angustis facile est contemnere vitam:
fortiter ille facit, qui miser esse potest. MARTIAL. *epigr.* 11, 56, 15 *sq.*

Conqueri fortunam adversam, non lamentari decet.
PACUV. *trag. fr.* 268.

Aeger. Aegrotus.

Aegroto, dum anima est, spes esse dicitur. CIC. *epist. ad Attic.* 9, 10, 3.

Nihil magis aegris prodest, quam ab eo curari, a quo volunt. SEN. *excerpt. controv.* 4, 5. §. 3.

Quaedam ignorantibus aegris curanda sunt: causa multis moriendi fuit morbum suum nosse. SEN. *de brev. vit.* 18, 5 (6).

Firma valent per se nullumque Machaona quaerunt:
ad medicam dubius confugit aeger opem. OVID. *ex Pont.* 3, 4, 7 *sq.*

Aegrum corpus quassari etiam levibus solet offensis.
AMM. MARC. *hist.* 14, 5, 2.

Turpe spectaculum praebet animus aeger. SEN. *de mor. no.* 89.

Aemulatio.

Alit aemulatio ingenia et nunc invidia nunc admiratio imitationem accendit. VELL. PAT. *hist. Rom.* 1, 17, 6.

Tum bene fortis equus reserato carcere currit,
quum quos praetereat quosque sequatur habet.
OVID. *art. am.* 3, 595 *sq.*

Aequus animus.

Animus aequus optimumst aerumnae condimentum.
PLAUT. *Rud.* 2, 3, 71 (402).

Aequo animo excipe necessaria. SEN. *epist.* 99, 20 (22).

Nihil tam acerbum est, in quo non aequus animus solatium inveniat. SEN. *de tranqu.* 10, 4.

Medicina calamitatis est aequanimitas. P. SYRI *sent.* 287.

Aes alienum.

Aes debitorem leve, grave inimicum facit. P. SYRI *sent.* 8.

Alienum aes homini ingenuo acerba est servitus. P. SYRI *sent.* 10.

Aetas.

Ubi peccat aetas major, male discit minor. P. SYRI *sent.* 491.

Transiet aetas.
quam cito non segnis stat remeatque dies!
quam cito purpureos deperdit terra colores,
quam cito formosas populus alba comas! TIBULL. *carm.* 1, 4, 27—30.

Utendum est aetate. cito pede labitur aetas,
nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit. OVID. *art. am.* 3, 65 *sq.*

Labitur occulte fallitque volatilis aetas,
et nihil est annis velocius. OVID. *met.* 10, 519 *sq.*

Labitur occulte fallitque volubilis aetas,
ut celer admissis labitur amnis aquis. OVID. *amor.* 1, 8, 49 *sq.*

Aetate fruere, mobili cursu fugit. SEN. *Hippol.* 446.

Senescimus. effugit aetas.
utere vere tuo. AUSON. *epigr.* 13, 1 *sq.*

Affectatio alieni boni.

Noli affectare quod tibi non est datum,
delusa ne spes ad querellam recidat. PHAEDR. *fab.* 3, 18, 14 *sq.*

Ager.

Agro empto domus vendenda est. PLIN. *nat. hist.* 18, 6 (7). §. 35.

Agricola.

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
agricolas! VIRG. *georg.* 2, 458 *sq.*

Agricolam annonae caritas erigit. SEN. *de benef.* 6, 38, 2 (3).

Agri cultura.

Tempus in agrorum cultu consumere dulce est. OVID. *ex Pont.* 2, 7, 69.

Aleator.

Aleator quanto in arte melior est, tanto est nequior. P. SYRI *sent.* 502.

Alienae res.

Numquam erit alienis gravis qui suis se concinnat levem.
PLAUT. *Trin.* 3, 2, 58 (684).

Fertilior seges est alienis semper in agris,
vicinumque pecus grandius uber habet. OVID. *art. am.* 1, 349 *sq.*

Aliena nobis, nostra plus aliis placent. P. SYRI *sent.* 9.

Mala est voluptas alienis assuescere. P. SYRI *sent.* 629.

Alienum est omne quidquid optando evenit. P. SYRI *ex inc. fab. fr.* IV. p. 260 *ed. Ribbeck.*

Amittit merito proprium qui alienum appetit. PHAEDR. *fab.* 1, 4, 1.

Altercatio.

Nimium altercando veritas amittitur. P. SYRI *sent.* 326.

Amare. Amor.

Miser is est homo qui amat. PLAUT. *Asin.* 3, 3, 26 (616).

Qui in amorem praecipitavit, periit quasi de saxo saliat.
PLAUT. *Trin.* 2, 1, 29 (265).

Amantium irae amoris integratio est. TERENT. *Andr.* 3, 3, 23 (855).

Difficile est longum subito deponere amorem. CATULL. *carm.* 76, 13.

Nihil difficile amanti puto. CIC. *orat.* 10, 33.

Omnia vincit Amor. VIRGIL. *ecl.* 10, 69.

Sine amore jocisque
nil est jucundum, vivas in amore jocisque. HORAT. *epist.* 1, 6, 65 *sq.*

Obsequio plurima vincit amor. TIBULL. *carm.* 1, 4, 40.

Donis vincitur omnis amor. TIBULL. *carm.* 1, 5, 60.

Nescit Amor magnis cedere divitiis. PROPERT. *carm.* 1, 14, 8.

Omnes humanos sanat medicina dolores:
solus amor morbi non amat artificem. PROPERT. *carm.* 2, 1, 57 *sq.*

Multum in amore fides, multum constantia prodest. PROPERT. *carm.* 2, 26, 27.

Vinceris aut vincis, haec in amore rota est. PROPERT. *carm.* 2, 8, 8.

Verus amor nullum novit habere modum. PROPERT. *carm.* 2, 15, 30.

Omne in amore malum, si patiare, leve est. PROPERT. *carm.* 2, 5, 16.

Credula res amor est. OVID. *her.* 6, 21; *met.* 7, 826.

Nobilitas sub amore jacet. OVID. *her.* 4, 161.

Magnus est amor, qui ex misericordia venit. SEN. *excerpt. controv.* 8, 6. §. 8.

Amor magister est optimus. PLIN. *epist.* 4, 19, 4.

Amor timere neminem verus potest. SEN. *Med.* 416.

Quos amor verus tenuit, tenebit. SEN. *Thyest.* 551.

Ut ameris, amabilis esto. OVID. *art. am.* 2, 108.

Ut ameris, ama. MARTIAL. *epigr.* 6, 11, 10.

Si vis amari, ama. SEN. *epist.* 9, 4 (6).

Affectus nostri vobis non serviunt. Non potes efficere imperio, ut vel amem quem velis vel oderim. QUINT. *decl.* 376. p. 381. *ed. Bip.*

Amare et sapere vix deo conceditur. P. SYRI *sent.* 16.

Amare juveni fructus est, crimen seni. P. SYRI *sent.* 17.

Amantis jus jurandum poenam non habet. P. SYRI *sent.* 15.

Quis legem det amantibus?
Major lex amor est sibi. BOETH. *de consol. phil.* 3. *metr.* 12, 47 *sq.*

Ambitio.

Licet ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen causa virtutum est. QUINTIL. *instit. orat.* 1, 2, 22.

Non fames nobis ventris nostri magno constat, sed ambitio. SEN. *epist.* 63, 3.

Amicus. Amicitia.

Amicus certus in re incerta cernitur. ENN. *trag. fr.* 428 (388).

Ne quid exspectes amicos, quod tute agere possies. ENN. *satur. fr.* 38. p. 161 *ed. Vahlen.*

Pauci ex multis sunt amici, homini certi qui sient. PLAUT. *Pseud.* 1, 3, 156 (390).

Is est amicus, qui in re dubia re juvat, si re est opus. PLAUT. *Epid.* 1, 2, 10 (107).

Omnibus amicis quod mihi est cupio esse item. PLAUT. *Trin.* 1, 2, 16 (54).

Bene si amico feceris,
ne pigeat fecisse: ut potius pudeat, si non feceris.
PLAUT. *Trin.* 2, 2, 66 (347) *sq.*

Communia sunt amicorum inter se omnia. TERENT. *Adelph.* 5, 3, 17 (804).

Amici animum quaerunt, rem parasiti ac divitias. LUCIL. *sat.* 27. *fr.* 2.

Cave amicum credas, nisi si quem probaveris. P. SYRI *sent.* 85.

Ita amicum habeas, posse ut facile fieri inimicum putes. P. SYRI *sent.* 522.

Plerumque in calamitate ex amicis inimici exsistunt. CAES. *de bello civ.* 3, 104, 1.

Nil ego contulerim jucundo sanus amico. HORAT. *sat.* 1, 5, 44.

Quem ad modum in se quisque sit, sic in amicum sit animatus. CIC. *de amicit.* 16, 57.

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
tempora si fuerint nubila, solus eris. OVID. *trist.* 1, 9, 5 *sq.*

Horrea formicae tendunt ad inania numquam.
Nullus ad amissas ibit amicus opes. OVID. *trist.* 1, 9, 9 *sq.*

Qua potes, excusa, nec amici desere causam!
Quo bene coepisti, sic pede semper eas. OVID. *trist.* 1, 9, 65 *sq.*

Turpe erit in miseris veteri tibi rebus amico
auxilium nulla parte tulisse tuum. OVID. *ex Pont.* 2, 6, 19 *sq.*

Extra fortunam est, si quid donatur amicis:
quas dederis, solas semper habebis opes. MARTIAL. *epigr.* 5, 42, 7 *sq.*

Hunc, quem mensa tibi, quem coena paravit amicum,
esse putas fidae pectus amicitiae?
Aprum amat et mullos et sumen et ostrea, non te.
Tam bene si coenem, noster amicus erit. MARTIAL. *epigr.* 9, 14, 1 *sqq.*

Amicos secundae res parant, adversae certissime probant. SEN. *de mor. no.* 51.

Vulgare amici nomen, sed rara est fides. PHAEDR. *fab.* 3, 9, 1.

Si aliquem amicum existimas, cui non tantumdem

credis quantum tibi, vehementer erras et non satis nosti vim verae amicitiae. Tu vero omnia cum amico delibera, sed de ipso prius. Post amicitiam credendum est, ante amicitiam judicandum. SEN. *epist.* 3, 2.

Quid dulcius quam habere amicum, cum quo audeas ut tecum omnia loqui? SEN. *de mor. no.* 20.

Quum Fortuna manet, vultum servatis, amici:
quum cecidit, turpi vertitis ora fuga. PETRON. *satyr.* 80. §. 9. *v.* 3 *sq.*

Plures amicos re secunda compara,
paucos amicos rebus adversis proba. AUSON. *lud. sept. sapient.* 2, 6 *sqq.*

Plus amici nocuimus quam inimici. QUINT. *decl.* 9, 1.

Qui fortunis alicujus inducti amicitiam ejus secuti sunt, ei simul ac fortuna dilapsa est, devolant omnes; quum enim recessit ea res, quae fuit consuetudinis causa, nihil superest, qua re possint in amicitia teneri. CORNIF. *rhet.* 4, 17, 24.

Eam diligentiam adhibeamus in amicitiis comparandis, ut ne quando amare incipiamus eum, quem aliquando odisse possimus. CIC. *de amicit.* 16, 60.

Amicitiam non spe mercedis adducti, sed quod omnis ejus fructus in ipso amore inest, expetamus. CIC. *de amicit.* 9, 31.

Mihi quidem videntur, qui utilitatis causa fingunt amicitias, amabilissimum nodum amicitiae tollere. CIC. *de amicit.* 14, 51.

Verum illud est, quod dicitur, multos modios salis

simul edendos esse, ut amicitiae munus expletum sit. CIC. *de amicit.* 19, 67.

Et secundas res splendidiores facit amicitia et adversas partiens communicansque leviores. CIC. *de amicit.* 6, 22.

Virtus et conciliat amicitias et conservat. CIC. *de amicit.* 27, 100.

Virtutum amicitia adjutrix a natura data est, non vitiorum comes. CIC. *de amicit.* 22, 83.

Vetus est lex illa justae veraeque amicitiae, ut idem amici semper velint, neque est ullum amicitiae certius vinculum quam consensus et societas consiliorum et voluntatum. CIC. *pro Planc.* 2, 5.

Idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est. SALLUST. *Catil.* 20, 4.

Turpe quidem dictu, sed (si modo vera fatemur)
vulgus amicitias utilitate probat. OVID. *ex Pont.* 2, 3, 7 *sq.*

Diu cogita an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit. quum placuerit fieri, toto illum pectore admitte: tam audaciter cum illo loquere quam tecum. SEN. *epist.* 3, 2.

Qui amicus est amat, qui amat non utique amicus est. Itaque amicitia semper prodest, amor etiam aliquando nocet. SEN. *epist.* 35, 1.

Nihil aeque oblectaverit animum, quam amicitia fidelis et dulcis. SEN. *de tranqu.* 7, 1 (3).

Est ad connectendas amicitias vel tenacissimum vinculum morum similitudo. PLIN. *epist.* 4, 15, 2.

Theophrastus dicitur dixisse: 'Prudentis esse officium amicitiam probatam appetere, non appetitam probare.' RUTIL. LUP. *de fig. sent.* 1. §. 6.

Nemo flagrantius amicitiam colit, quam qui irascitur negligentiae. SYMMACH. *epist.* 4, 21.

Amor, *vid.* **Amare.**

Animus.

Tu si animum vicisti potius quam animus te, est quod gaudeas.
PLAUT. *Trin.* 2, 2, 29 (310).

Animum rege, qui nisi paret,
imperat; hunc frenis, hunc tu compesce catena. HORAT. *epist.* 1, 2, 62 *sq.*

Coelum, non animum, mutant qui trans mare currunt. HORAT. *epist.* 1, 11, 27.

Ut corpus redimas, ferrum patieris et ignes,
arida nec sitiens ora levabis aqua.
Ut valeas animo, quidquam tolerare negabis?
At pretium pars haec corpore majus habet. OVID. *rem. am.* 229 *sqq.*

Animus bonus.

Bonus animus in mala re dimidium est mali. PLAUT. *Pseud.* 1, 5, 37 (454).

In re mala animo si bono utare, adjuvat. PLAUT. *Capt.* 2, 1, 8 (202).

Annus. Anni.

O mihi praeteritos referat si Juppiter annos! VIRG. *Aen.* 8, 560.

Immortalia ne speres, monet annus et almum
quae rapit hora diem. HORAT. *carm.* 4, 7, 7 *sq.*

Singula de nobis anni praedantur euntes. HORAT. *epist.* 2, 2, 55.

Eunt anni more fluentis aquae.
Nec quae praeteriit, iterum revocabitur unda,
nec quae praeteriit, hora redire potest. OVID. *art. am.* 3, 62 *sqq.*

Seris venit usus ab annis. OVID. *met.* 6, 29.

Aqua.

Est in aqua dulci non invidiosa voluptas. OVID. *ex Pont.* 2, 7, 73.

Usus communis aquarum est. OVID. *met.* 6, 349.

Arcanum.

Arcanum neque tu scrutaberis ullius umquam,
commissumque teges et vino tortus et ira. HORAT. *epist.* 1, 18, 37 *sq.*

Arcus

Non semper feriet, quodcumque minabitur, arcus. HORAT. *art. poët.* 350.

Arma.

Omnia prius experiri quam armis sapientem decet. TERENT. *Eun.* 4, 7, 19 (789).

Arma non servant modum,
nec temperari facile nec reprimi potest
stricti ensis ira. bella delectat cruor. SEN. *Herc. fur.* 403 *sq.*

Ars.

Nulla ars literis sine interprete et sine aliqua exercitatione percipi potest. Cic. *epist. ad fam.* 7, 19, 1.

Si latet ars, prodest. Ovid. *art. am.* 2, 313.

Asperitas.

Dextera praecipue capit indulgentia mentes.
Asperitas odium saevaque bella movet. Ovid. *art. am.* 2, 145 *sq.*

Assentatio.

Vitium prius fuit assentatio, nunc est mos. P. Syri *sent.* 773.

Benevolentiam civium blanditiis et assentando colligere turpe est. Cic. *de amicit.* 17, 61.

Assuescere. Assuetudo.

Quod male fers, assuesce, feres bene. multa vetustas
lenit. Ovid. *art. am.* 2, 647 *sq.*

Numquam immanis erit, placita assuetudine vultus
qui semel imbuerit. rugas nutricis amabit,
qui refugit matrem. pappos aviasque trement
anteferunt patribus seri nova cura nepotes. Auson. *edyll.* 4, 16 *sqq.*

Astra.

Non est ad astra mollis e terris via. Sen. *Herc. fur.* 437.

Auctor sceleris.

Non lex aequior ulla est,
quam necis artifices arte perire sua. Ovid. *art. am.* 1, 655 *sq.*

Auctorem scelus repetit
suoque premitur exemplo nocens. Sen. *Herc. fur.* 735 *sq.*

Saepe in magistrum scelera redierunt sua. Sen. *Thyest.* 311.

Ad auctores redit
sceleris coacti culpa. Sen. *Troad.* 870 *sq.*

Audax (Audens). Audacia.

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito. Virg. *Aen.* 6, 95.

Audentes Fortuna juvat. Virg. *Aen.* 10, 284.

Audentes deus ipse juvat. Ovid. *met.* 10, 586.

In audaces non est audacia tuta. Ovid. *met.* 10, 544.

In rebus dubiis plurimi est audacia. P. Syri *sent.* 227.

Quod si deficiant vires, audacia certe
laus erit: in magnis et voluisse sat est. Propert. *carm.* 2, 10, 5 *sq.*

Crescit audacia experimento. Plin. *epist.* 9, 33, 6.

Audendo magnus tegitur timor. Lucan. *Phars.* 4, 702.

Audire (Auscultare).

Auscultare disce, si nescis loqui. Pompon. *com. fr.* 12.

In hoc tantum incumbe, ut libentius audias quam loquaris. Sen. *de mor. no.* 9.

Auribus frequentius quam lingua utere. Sen. *de mor. no.* 104.

Aula.

Exeat aula,
qui volet esse pius; virtus et summa potestas
non coëunt. LUCAN. *Phars.* 8, 493 *sqq.*

Nemo suos — haec est aulae natura potentis —
sed domini mores Caesarianus habet. MARTIAL. *epigr.* 9, 79, 7 *sq.*

Jura pudorque
et conjugii sacrata fides
fugiunt aulas. SEN. *Agam.* 79 *sqq.*

Non intrat umquam regium limen fides. SEN. *Agam.* 285.

Fraus sublimi regnat in aula. SEN. *Hippol.* 981.

Perlucet omne regiae vitium domus. SEN. *Agam.* 148.

Aurum.

Odi ego aurum: multa multis saepe suasit perperam. PLAUT. *Capt.* 2, 2, 78 (328).

Auscultare, *vid.* **Audire.**

Auxilium.

Auxilia humilia firma consensus facit. P. SYRI *sent.* 43.

Pereunt auxilium qui suis dant hostibus. PHAEDR. *fab.* 1, 14, 1.

Qui fert malis auxilium post tempus dolet. PHAEDR. *fab.* 4, 19, 1.

Avarus. Avaritia.

Avarus animus nullo satiatur lucro. P. SYRI *sent.* 37.

Avarus ipse miseriae causa est suae. P. SYRI *sent.* 38.

Avarus nisi quum moritur, nil recte facit. P. SYRI *sent.* 39.

In nullum avarus bonus est, in se pessimus. P. SYRI *sent.* 224.

Avaro quid mali optes nisi 'vivat diu'? P. SYRI *sent.* 35.

Tam deest avaro quod habet, quam quod non habet. P. SYRI *sent.* 486.

Negandi causa avarum numquam deficit. P. SYRI *sent.* 314.

Semper avarus eget; certum voto pete finem. HORAT. *epist.* 1, 2, 56.

Non plura venena
miscuit aut ferro grassatur saepius ullum
humanae mentis vitium quam saeva cupido
immodici census. nam dives qui fieri vult,
et cito vult fieri: sed quae reverentia legum,
quis metus aut pudor est umquam properantis avari?
JUVEN. *sat.* 14, 173 *sqq.*

Quis dives? Qui nihil cupiat. Quis pauper? Avarus. AUSON. *sept. sapient. sent.* 1, 3.

Cui nullus finis cupiendi est, nullus habendi. AUSON. *edyll.* 3, 15.

Avaritia omnia vitia habet. CATO *de moribus fr.* 1. *p.* 82, 10 *ed. Jordan.*

Ex luxuria exsistat avaritia necesse est; ex avaritia erumpat audacia; inde omnia scelera ac maleficia gignuntur. CIC. *Rosc. Am.* 27, 75.

Quemvis media eripe turba;
aut ab avaritia aut misera ambitione laborat. HORAT. *Sat.* 1, 4, 25 *sq.*

Quid non mortalia pectora cogis,
auri sacra fames? VIRG. *Aen.* 3, 56 *sq.*

Nulla avaritia sine poena est, quamvis satis sit ipsa poenarum. SEN. *epist.* 115, 16.

Monstro similis est avaritia senilis. quid enim stultius est, quod dici solet, quam via deficiente augere viaticum. SEN. *de mor. no.* 18.

Quae est maxima egestas? avaritia. SEN. *de mor. no.* 57.

Pecunia non satiat avaritiam sed irritat. ideo semper indiget. SEN. *de mor. no.* 101.

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crevit,
et minus hanc optat qui non habet. JUVEN. *sat.* 14, 139 *sq.*

Prima scelerum mater, quae semper habendo,
plus sitiens patulis rimatur faucibus aurum,
avaritia. CLAUDIAN. *de laud. Stilich.* 2, 111 *sqq.*

Saevior ignibus Aetnae
fervens amor ardet habendi. BOETH. *de consol. phil.* 2. *metr.* 5, 25 *sq.*

Beatus. Beata vita.

Non possidentem multa vocaveris
recte beatum; rectius occupat
nomen beati, qui deorum

muneribus sapienter uti
duramque callet pauperiem pati,
pejusque leto flagitium timet. HORAT. *carm.* 4, 9, 45 *sqq.*

Nihil est ab omni parte beatum. HORAT. *carm.* 2, 16, 27 *sq.*

Ultima semper
exspectanda dies homini, dicique beatus
ante obitum nemo supremaque funera debet. OVID. *met.* 3, 135 *sqq.*

Is est beatus quem nulla res minorem facit: tenet summa et ne ulli quidem nisi sibi est innixus: nam qui aliquo auxilio sustinetur, potest cadere. SEN. *epist.* 92, 2.

Quid est beata vita? securitas et perpetua tranquillitas. SEN. *epist.* 92, 3.

Quidni non possit beata vita rescindi? ne remitti quidem potest: et ideo virtus ad illam per se ipsa satis est. SEN. *epist.* 92, 21 (23).

Turpe est beatam vitam in auro et argento reponere. SEN. *epist.* 110, 17 (18).

Dico tunc beatam vitam, quum peracta fata sint. AUSON. *lud. sept. sapient.* 5, 1.

Bellum.

Diu apparandum est bellum, ut vincas celerius. P. SYRI *sent.* 126.

Fortuna belli semper ancipiti in loco est. SEN. *Phoen.* 629.

Quaeritur belli exitus, non causa. SEN. *Herc. fur.* 407 *sq.*

Quis furor est atram bellis arcessere mortem!
Imminet et tacito clam venit illa pede. TIBULL. *carm.* 1, 10, 33 *sq.*

Beneficium. Benefacere.

Nullum beneficium esse duco id, quom quoi facias non placet.
PLAUT. *Trin.* 3, 2, 12 (638).

Malo bene facere tantumdem est periculum,
quantum bono male facere. PLAUT. *Poen.* 3, 3, 20 (502) *sq.*

Malo si quid bene facias, beneficium interit;
bono si quid male facias, aetatem expetit. PLAUT. *Poen.* 3, 3, 22 (504) *sq.*

Improbus est homo, qui beneficium scit accipere et reddere nescit.
PLAUT. *Pers.* 5, 1, 10 (762).

Quod bonis benefit beneficium, gratia ea gravida est bonis.
PLAUT. *Capt.* 2, 2, 108 (358).

Nequam illud verbum est 'bene volt', nisi qui bene facit.
PLAUT. *Trin.* 2, 4, 38 (439).

Bene facta male locata male facta arbitror. ENN. *trag. fr.* 429 (389).

Beneficium accipere libertatem est vendere. P. SYRI *sent.* 49.

Beneficium dando accepit, qui digno dedit. P. SYRI *sent.* 50.

Beneficium dignis ubi das, omnes obligas. P. SYRI *sent.* 52.

Beneficium qui dedisse se dicit, petit. P. SYRI *sent.* 53.

Beneficium saepe dare docere est reddere. P. SYRI *sent.* 54.

Beneficia donari aut mali aut stulti putant. P. SYRI *sent.* 46.

Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter. P. SYRI *sent.* 225.

Reddit beneficium qui libenter debet. SEN. *de benef.* 1, 1, 3.

Eodem animo beneficium debetur, quo datur. SEN. *de benef.* 1, 1, 7 (8).

Et magni animi et boni proprium est non fructum beneficiorum sequi, sed ipsa. SEN. *de benef.* 1, 1, 11 (12).

Qui beneficium non reddit magis peccat, qui non dat citius. SEN. *de benef.* 1, 1, 12 (13).

Nemo beneficia in calendario scribit. SEN. *de benef.* 1, 2, 2 (3).

Beneficium in acta non mitto. SEN. *de benef.* 2, 10, 4.

Turpis feneratio est beneficium expensum ferre. SEN. *de benef.* 1, 2, 3.

Is perdet beneficia, qui cito se perdidisse credit. SEN. *de benef.* 1, 3, 2 (1).

Non potest beneficium manu tangi: res animo agitur. SEN. *de benef.* 1, 5, 1 (2).

Beneficium non in eo quod fit aut datur consistit,

sed in ipso dantis aut facientis animo. SEN. *de benef.* 1, 6, 1.

Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis haesit, quod quis aegre dimittere visus est et sic dare tamquam eriperetur. SEN. *de benef.* 2, 1, 1 (2).

Gratissima sunt beneficia parata, facilia, occurrentia, ubi nulla mora fuit nisi in accipientis verecundia. SEN. *de benef.* 2, 1, 3.

Omnis benignitas properat et proprium est libenter facientis cito facere. SEN. *de benef.* 2, 5, 4.

Beneficium non est cujus sine rubore meminisse non possum. SEN. *de benef.* 2, 8, 2.

Haec beneficii inter duos lex est: alter statim oblivisci debet dati, alter accepti numquam. SEN. *de benef.* 2, 10, 4.

Beneficii accepti numquam oportet oblivisci, dati protinus. SEN. *de mor. no.* 67.

Tu bene si quid facias, non meminisse fas est.

Quae benefacta accipias, perpetuo memento. AUSON. *lud. sept. sapient.* 6, 4 *sq.*

Qui dedit beneficium taceat, narret qui accepit. SEN. *de benef.* 2, 11, 2.

Qui grate beneficium accipit, primam ejus pensionem solvit. SEN. *de benef.* 2, 22 *extr.*

Beneficium qui dat vult excipi grate. SEN. *de benef.* 2, 31, 3.

Non referre beneficiis gratiam et est turpe et apud omnes habetur. SEN. *de benef.* 3, 1, 1.

Generosi animi est et magnifici juvare, prodesse: qui

dat beneficia deos imitatur, qui repetit feneratores. SEN. *de benef.* 3, 15, 3 (4).

Quid est dare beneficium? deum imitari. SEN. *de mor. no.* 47.

Istud non beneficium, sed fenus est, circumspicere non ubi optime ponas, sed ubi quaestuosissime habeas, unde facillime tollas. SEN. *de benef.* 4, 3, 3.

Turpe est beneficiis vinci. SEN. *de benef.* 5, 2, 1.

Benignus.

Benignus etiam dandi causam cogitat. P. SYRI *sent.* 59.

Blanditiae.

Habet suum venenum blanda oratio. P. SYRI *sent.* 185.

Virtute quod non possis, blanditia auferas. P. SYRI *sent.* 495.

O nullis tutum credere blanditiis. PROPERT. *carm.* 1, 15, 42.

Habent insidias hominis blanditiae mali. PHAEDR. *fab.* 1, 21, 1.

Bonum. Bona.

Sapiens et bonum ferre potest modice et malum fortiter aut leviter.

VARR. *sat. Menipp.* 33, 4. *p.* 129 *ed. Oehler.*

Perdere est dignus bona,
quîs nescit uti. SEN. *Hippol.* 442 *sq.*

Bonus.

Omnes bonos bonasque accurare addecet,

suspicionem et culpam ut ab se segregent. PLAUT. *Trin.* 1, 2, 41 (78) *sq.*

Boni sibi haec expetunt, rem, fidem et honorem,
gloriam et gratiam: hoc probis pretium est. PLAUT. *Trin.* 2, 1, 36 (272) *sq.*

Vir bonus est quis?
qui consulta patrum, qui leges juraque servat,
quo multae magnaeque secantur judice lites;
quo res sponsore et quo causae teste tenentur. HORAT. *epist.* 1, 16, 40 *sqq.*

Oderunt peccare boni virtutis amore. HORAT. *epist.* 1, 16, 52.

Esse bonum (bonam) facile est, ubi quod vetet esse, remotum est.
OVID. *trist.* 5, 14, 25.

Nemo est casu bonus. SEN. *epist.* 123, 15 (16).

Non promittet se talem in perpetuum, qui bonus casu est. SEN. *epist.* 95, 40 (39).

Prosunt inter se boni. SEN. *epist.* 109, 1.

Semper homo bonus tiro est. MARTIAL. *epigr.* 12, 51, 2.

Rari quippe boni, numero vix sunt totidem quot
Thebarum portae vel divitis ostia Nili. JUVEN. *sat.* 13, 26 *sq.*

Bono probari malo, quam multis malis. AUSON. *sept. sapient. sent.* 2, 2.

Breviloquentia.

Nemo silens placuit: multi brevitate loquendi. AUSON. *epist.* 25, 44.

Brevitas vitae.

Brevis ipsa vita est, sed malis fit longior. P. Syri *sent.* 80.

Exigua pars est vitae qua nos vivimus. Sen. *de brev. vit.* 2, 2.

Tempora labuntur tacitisque senescimus annis,
et fugiunt freno non remorante dies. Ovid. *fast.* 6, 771 *sq.*

Caecitas.

Caeci sunt oculi, quum animus alias res agit. P. Syri *sent.* 81.

Visu carenti magna pars veri latet Sen. *Oedip.* 295.

Calamitas.

Ad calamitatem quilibet rumor valet. P. Syri *sent.* 4.

Felix improbitas optimorum est calamitas. P. Syri *sent.* 156.

Calamitas virtutis occasio est. Sen. *de provid.* 4, 6.

Et calamitas querula est et superba felicitas. Curt. *de gest. Alex.* 5, 5 (18), 12.

Saepe calamitatis solatium est nosse sortem suam. Curt. *de gest. Alex.* 4, 10 (42), 26.

Cantor. Cantus.

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
ut numquam inducant animum cantare rogati,
injussi numquam desistant. Horat. *sat.* 1, 3, 1 *sqq.*

Carmen.

Condisce modos amanda
voce quos reddas; minuentur atrae
carmine curae. HORAT. *carm.* 4, 11, 34 *sqq.*

Carmine di superi placantur, carmine Manes. HORAT. *epist.* 2, 1, 138.

Carmina laetum
sunt opus, et pacem mentis habere volunt. OVID. *trist.* 5, 12, 3 *sq.*

Castigatio.

Castigatio efficacior est et altius penetrat, quae adjuvat ratione quod praecipit, quae adjicit, quare quidque faciendum sit et quis facientem oboedientemque praeceptis fructus exspectet. SEN. *epist.* 94, 44.

Castitas.

Casta ad virum matrona parendo imperat. P. SYRI *sent.* 83.

Dos est magna parentium
virtus et metuens alterius viri
certo foedere castitas. HORAT. *carm.* 3, 24, 21 *sq.*

Casus.

Casus quem saepe transit, aliquando invenit. P. SYRI *sent.* 84.

Non temere incerta casuum reputat, quem fortuna numquam decipit. LIV. *hist.* 30, 30, 11.

Omnia quaecumque agimus subjecta sunt mille casibus. LIV. *hist.* 30, 31, 6.

Casus ubique valet. Semper tibi pendeat hamus:
quo minime credas gurgite, piscis erit. OVID. *art. am.* 3, 425 *sq.*

Quem saepe transit casus aliquando invenit. SEN. *Herc. fur.* 328.

Ubi animus errat, optimum est casum sequi. SEN. *Agam.* 144.

Caeca est temeritas, quae petit casum ducem. SEN. *Agam.* 145.

O quantum est subitis casibus ingenium! MARTIAL. *de spect.* 14, 4.

Quam saepe forte temere
eveniunt quae non audeas optare! TERENT. *Phorm.* 5, 1, 30 (757) *sq.*

Causa.

Mala causa est quae requirit misericordiam. P. SYRI *sent.* 263.

Manifesta causa secum habet sententiam. P. SYRI *sent.* 285.

Cavere.

Qui cavet ne decipiatur, vix cavet, quom etiam cavet.
Etiam quom cavisse ratus est, saepe is cautor captus est.
PLAUT. *Capt.* 2, 2, 5 (255) *sq.*

Tu quod cavere possis, stultum admittere est. TERENT. *Eun.* 4, 6, 23 (761).

Serum est cavendi tempus in mediis malis. SEN. *Thyest.* 487.

Sibi non cavere et aliis consilium dare
stultum est. PHAEDR. *fab.* 1, 9, 1 *sq.*

Cave amicum credas, nisi si quem probaveris. P. SYRI *sent.* 85.

Cave quidquam incipias, quod poeniteat postea. P. SYRI *sent.* 86.

Celeritas.

In vindicando criminosa est celeritas. P. SYRI *sent.* 236.

Sat celeriter fit quidquid fit satis bene. AUGUST. *ap.* SUET. *Aug.* 25.

Cibus.

Solet cibus, quum sumitur, tacitos efficere, potus loquaces. MACROB. *sat.* 7, 1. §. 1.

Juvat cibus post opus. QUINTIL. *decl.* 298. *p.* 165 *ed. Bip.*

Clementia.

Re ipsa repperi
facilitate nil esse homini melius neque clementia. TERENT. *Adelph.* 5, 4, 6 (860) *sq.*

Metus improbos compescit, non clementia. P. SYRI *sent.* 288.

Magnum timoris remedium clementia est. SEN. *Octav.* 442.

Coelum.

Non est ad astra mollis e terris via. SEN. *Herc. fur.* 437.

Cogitatio.

Liberae sunt nostrae cogitationes. CIC. *pro Mil.* 29, 79.

Cogitationis poenam nemo patitur. ULPIAN. *Dig.* 48, 19, 18.

Cognitio sui.

In foro vix decumus quisque est, qui ipsus sese noverit.
PLAUT. *Pseud.* 4, 2, 16 (973).

Qui sua metitur pondera, ferre potest. MARTIAL. *epigr.* 12, 98, 8.

Ne te quaesiveris extra. PERS. *sat.* 1, 7.

Tecum habita: noris, quam sit tibi curta supellex. PERS. *sat.* 4, 52.

Nosce te (γνῶθι σεαυτόν). AUSON. *lud. sept. sapient.* 1, 2 et 3, 8.

Comes.

Comes facundus in via pro vehiculo est. P. SYRI *sent.* 91.

Commendatio.

Qualem commendes etiam atque etiam aspice, ne mox
incutiant aliena tibi peccata pudorem. HORAT. *epist.* 1, 18, 76 *sq.*

Alios commendet epistola: peccat
qui commendandum se putat esse suis. MARTIAL. *epigr.* 3, 5, 11 *sq.*

Commiseratio.

Quo causa melior sorsque deterior trahit,
inclinat animus semper infirmo favens.
Miseros magis fortuna conciliat suis. SEN. *Phoen.* 384 *sqq.*

Conatus.

Si vir es, suspice, etiam si decidunt, magna conantes. SEN. *de vit. beat.* 20, 1 (2).

Dimidium facti qui coepit habet. HORAT. *epist.* 1, 2, 40.

Concordia.

Concordia parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur. SALLUST. *Jug.* 10, 6.

Discordia fit carior concordia. P. SYRI *sent.* 125.

Auxilia humilia firma consensus facit. P. SYRI *sent.* 43.

Parvis dives concordia rebus. SIL. ITAL. *Punic.* 9, 407.

Confessio facinoris.

Fatetur facinus is qui judicium fugit. P. SYRI *sent.* 154.

Conjux *vid.* **Uxor.**

Conscientia.

Nihil est miserius, quam animus hominis conscius. PLAUT. *Most.* 3, 1, 13 (544).

O tacitum tormentum animi conscientia! P. SYRI *sent.* 352.

Numquam secura est prava conscientia. P. SYRI *sent.* 343.

Mala conscientia saepe tuta est, secura numquam. SEN. *de mor. no.* 65.

Cicatrix conscientiae pro vulnere est. P. SYRI *sent.* 87.

Tutum aliqua res in mala conscientia praestat, nulla securum. SEN. *epist.* 105, 9 (8).

Bonus fruitur bona conscientia. SEN. *de mor. no.* 134.

Conscientia bene actae vitae multorumque benefactorum recordatio jucundissima est. CIC. *de senect.* 3, 9.

Conscientia rectae voluntatis maxima consolatio est rerum incommodarum. CIC. *epist. ad fam.* 6, 4, 2.

Vacare culpa magnum est solatium. CIC. *epist. ad fam.* 7, 3, 4.

Quaenam summa boni? Mens quae sibi conscia recti. AUSON. *sept. sapient. sent.* 1, 1.

Consilium.

Malum est consilium, quod mutari non potest. P. SYRI *sent.* 282.

Quam miserum est, ubi consilium casu vincitur! P. SYRI *sent.* 404.

Semper consilium tunc deest, quum opus est maxime. P. SYRI *sent.* 464.

Velox consilium sequitur poenitentia. P. SYRI *sent.* 492.

Non eventus imputari debet cujusque rei, sed consilium. SEN. *controv.* 5 (10), 32. §. 11.

Verum consilium, quod initio auditu grave est, in posterum cognita utilitate fit jucundum. RUTIL. LUP. *de fig. sent.* 2. §. 19.

Malum consilium consultori pessimum est. GELL. *noct. Attic.* 4, 5, 6 (*cf.* Hesiod. op. et dier. 249: *ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη*).

In rebus asperis et tenui spe fortissima quaeque consilia tutissima sunt. LIV. *hist.* 25, 38, 18.

Scelera impetu, bona consilia mora valescunt. TACIT. *hist.* 1, 32.

Nonne id flagitium est, te aliis consilium dare,
foris sapere, tibi non potis esse auxiliarier? TERENT. *Heaut. tim.* 5, 1, 49 (922) *sq.*

Magna nolentem quoque
consilia produnt. SEN. *Thyest.* 331 *sq.*

Stultum consilium non modo effectu caret,
sed ad perniciem quoque mortales devocat. PHAEDR. *fab.* 1, 22, 1 *sq.*

Consilia qui dant prava cautis hominibus,
et perdunt operam et deridentur turpiter. PHAEDR. *fab.* 1, 27, 1 *sq.*

Constantia.

Non novit virtus calamitati cedere. P. SYRI *sent.* 337.

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito. VIRG. *Aen.* 6, 95.

Aequam memento rebus in arduis
servare mentem. HORAT. *carm.* 2, 3, 1 *sq.*

Multum in amore fides, multum constantia prodest. PROPERT. *carm.* 2, 26, 27.

Turpe referre pedem nec passu stare tenaci. OVID. *ex Pont.* 2, 6, 21.

Turpe sequi casum, fortunae cedere amicum,
et nisi sit felix, esse negare suum. OVID. *ex Pont.* 2, 6, 23 *sq.*

Rebus in angustis facile est contemnere vitam:
fortiter ille facit, qui miser esse potest. MARTIAL. *epigr.* 11, 56, 15 *sq.*

Intrepidus, quamcumque datis mihi, numina, mortem accipiam. LUCAN. *Pharsal.* 5, 658 *sq.*

Consuetudo.

Gravissimum est imperium consuetudinis. P. SYRI *sent.* 182.

Optima vivendi ratio est eligenda: eam jucundam consuetudo reddet. CORNIF. *rhet.* 4, 17, 24.

Consuetudinis magna vis est. CIC. *Tusc. disp.* 2, 17, 40.

In teneris consuescere multum est. VIRG. *georg.* 2, 272.

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
testa diu. HORAT. *epist.* 1, 2, 69 *sq.*

Naturam expelles furca, tamen usque recurret. HORAT. *epist.* 1, 10, 24.

Altius praecepta descendunt, quae teneris imprimuntur aetatibus. SEN. *de consol. ad Helv.* 16, 16 (18, 8).

Naturam mutare difficile est. SEN. *de ira* 2, 20, 3 (2).

Bona consuetudo excutere debet, quod mala instruxit. SEN. *de mor. no.* 2.

Contemptus sui.

Qui ipsus se contemnit, in eo est indoles industriae. PLAUT. *Trin.* 2, 2, 42 (323).

Continua.

Continuis vicina satietas. QUINTIL. *decl.* 306. *p.* 188 *ed. Bip.*

Contumelia.

Contumeliam si dicis, audies. PLAUT. *Pseud.* 4, 7, 77 (1173).

Contumeliam non fortis pote (potest) nec ingenuus pati. P. SYRI *sent.* 779.

Credulitas.

Plurimum mali credulitas facit. SEN. *de ira* 2, 23, 4 (2, 24, 1).

Utrumque vitium est, et omnibus credere et nulli. SEN. *epist.* 3, 4.

Numquam recte faciet, qui cito credit. PETRON. *satyr.* 43, 6.

Quod nimis miseri volunt,
hoc facile credunt. SEN. *Herc. fur.* 313 *sq.*

Credulitas damno solet esse puellis. OVID. *her.* 17, 39.

Periculosum est credere et non credere. PHAEDR. *fab.* 3, 10, 1.

Culpa.

Malum nullum est nisi culpa. CIC. *Tusc. disput.* 3, 16, 34.

Praeter culpam ac peccatum homini accidere nihil potest, quod sit horribile aut pertimescendum. CIC. *epist. ad famil.* 5, 21, 5.

Vacare culpa magnum est solatium. CIC. *epist. ad fam.* 7, 3, 4.

Quid tristes quaerimoniae,
si non supplicio culpa reciditur. HORAT. *carm.* 3, 24, 33 *sq.*

Culpam majorum posteri luunt. CURT. *de gest. Alex.* 7, 5 (23), 35.

Ad auctores redit
sceleris coacti culpa. SEN. *Troad.* 870 *sq.*

Cupiditas.

Stultus est, qui cupida cupiens cupienter cupit. ENN. *trag. fr.* 337 (256).

Fortior qui cupiditates est quam qui hostes subicit. P. SYRI *sent.* 510.

Cura.

O quid solutis est beatius curis,
quum mens onus reponit, ac peregrino
labore fessi venimus larem ad nostrum
desideratoque acquiescimus lecto. CATULL. *carm.* 31 7 *sqq.*

Crescentem sequitur cura pecuniam
majorumque fames. HORAT. *carm.* 3, 16, 17 *sq.*

Non opibus mentes hominum curaeque levantur. TIBULL. *carm.* 3, 3, 21.

Extenuant vigiles corpus miserabile curae,
adducitque cutem macies. OVID. *met.* 3, 396 *sq.*

Lentescunt tempore curae. OVID. *art. am.* 2, 357.

Cura quoque interdum nulla medicabilis arte:
aut, ut sit, longa est attenuanda mora. OVID. *ex Pont.* 1, 3, 25 *sq.*

O curas hominum! o quantum est in rebus inane! PERS. *sat.* 1, 1.

Curae leves loquuntur, ingentes stupent. SEN. *Hippol.* 607.

Invigilant animo scelerisque parati
supplicium exercent curae. STAT. *Theb.* 3, 4 sq.

Curiosus.

Curiosus nemo est, quin sit malevolus. PLAUT. *Stich.* 1, 3, 54 (208).

Dare.

Res est ingeniosa dare. OVID. *amor.* 1, 8, 62.

Quisquis magna dedit, voluit sibi magna remitti. MARTIAL. *epigr.* 5, 59, 3.

Quae nondum data sunt, stulte, negata putas? MARTIAL. *epigr.* 6, 10, 12.

Pauca dabis caro, sed dulcia dona, sodali. MARTIAL. *epigr.* 7, 84, 5.

Deficere.

Deficit omne quod nascitur. QUINTIL. *instit. orat.* 5, 10, 79.

Quidquid coepit et desinit. SEN. *de consol. ad Polyb.* 1, 1.

Deliberare.

Deliberando discitur sapientia. P. SYRI *sent.* 114.

Deliberando saepe perit occasio. P. SYRI *sent.* 115.

Deliberandum est diu, quod statuendum est semel. P. SYRI *sent.* 116.

Deliberare utilia mora tutissima est. P. SYRI *sent.* 117.

Demens.

Demens superbis invidet felicibus.

Demens dolorem ridet infelicium. AUSON. *sept. sapient. sent.* 2, 3 *sq.*

Desiderium.

Etiam celeritas in desiderio mora est. P. Syri *sent.* 139.

Nihil est desiderio suorum gravius. Quint. *decl.* 6, 18.

Desidia.

Interdum continuatus labor firmiores facit: saepe quod corroboraverat, desidia consumpsit. Sen. *controv.* 1, 8. §. 6.

Blando . . . veneno
desidiae virtus paulatim evicta senescit. Sil. Ital. *Punic.* 3, 580 *sq.* — *Cf.* **Ignavia.**

Nihil agendo homines male agere discunt. M. Cato *ap* Colum. *de re rust.* 11, 1, 26.

Qui nolet fieri desidiosus, amet. Ovid. *amor.* 1, 9, 46.

Desperatio.

Una salus victis, nullam sperare salutem. Virg. *Aen.* 2, 354.

Qui nil potest sperare, desperet nihil. Sen. *Med.* 163.

Miserrimum est timere, quum speres nihil. Sen. *Troad.* 425.

Saepe desperatio spei causa est. Curt. *de gest. Alex.* 5, 4 (16), 31.

Desperatio magnum ad honeste moriendum incitamentum. Curt. *de gest. Alex.* 9, 5 (19), 6.

Deus.

Est profecto deus, qui quae nos gerimus auditque et videt.
Plaut. *Capt.* 2, 2, 63 (313).

Deos maxume aequum est metuere. PLAUT. *Pseud.* 1, 3, 35 (269).

Nihil est, quod deus efficere non possit. CIC. *de divin.* 2, 41, 86.

Nihil humanarum rerum sine deorum numine geritur. CORN. NEP. *Timol.* 4, 4.

Deus omnia novit. OVID. *ex Pont.* 1, 2, 73.

Flectitur iratus voce rogante deus. OVID. *art. am.* 1, 442.

Deum colit, qui novit. SEN. *epist.* 95, 47.

Satis deos coluit, quisquis imitatus est. SEN. *epist.* 95, 50.

Nihil deo clausum est; interest animis nostris et cogitationibus mediis intervenit. SEN. *epist.* 83, 1.

Deus omnibus negotiis horisque interest. PLIN. *nat. hist.* 28, 2 (5), 27.

Sic loquendum est cum hominibus, tamquam dii audiant; sic loquendum cum diis, tamquam homines audiant. MACROB. *sat.* 1, 7, 6.

Dicere.

Quidquid dicturus es, ante quam aliis dixeris, dicito tibi. SEN. *de mor. no.* 105.

Dies.

Venit post multos una serena dies. TIBULL. *carm.* 3, 6, 32.

Omnis habet sua dona dies. MARTIAL. *epigr.* 8, 78, 7.

Nulla dies maerore caret. SEN. *Troad.* 77.

Dignitas.

Nemo dignitati perditae parcit. SEN. *de clem.* 1, 22, 1.

Confragosa in fastigium dignitatis via est. SEN. *epist.* 84, 13.

Facilius crescit dignitas quam incipit. SEN. *epist.* 101, 1.

Quicumque amisit dignitatem pristinam,
ignavis etiam iocus est in casu gravi. PHAEDR. *fab.* 1, 23, 1 *sq.*

Dilatio.

Fac properes, nec te venturas differ in horas:
qui non est hodie, cras minus aptus erit. OVID. *rem. am.* 93 *sq.*

Diligentia.

Diligentia omnibus in rebus plurimum valet. Haec praecipue colenda est nobis; haec semper adhibenda: haec nihil est quod non assequatur. CIC. *de orat.* 2, 35, 148.

Diligentia maximum etiam mediocris ingenii subsidium. SEN. *controv. excerpt.* 3. *praef.* §. 7.

Discere.

Haud aequom facit,
qui quod didicit id dediscit. PLAUT. *Amph.* 2, 2, 55 (687) *sq.*

Tam diu discendum est, quam diu nescias: si proverbio credimus, quam diu vivis. SEN. *epist.* 76, 2 (3).

Nil prodest bene te didicisse, facere si cesses bene. P. SYRI *sent.* 530.

Dediscit animus sero, quod didicit diu. SEN. *Troad.* 633.

Disciplina.

Non natura tantum, sed etiam disciplina mores facit. COLUM. *de re rust.* 7, 12, 6.

Discordia.

En, quo discordia cives
produxit miseros! VIRGIL. *ecl.* 1, 72 *sq.* — *Cf.* **Concordia.**

Disertus.

Fecundi calices quem non fecere disertum? HORAT. *epist.* 1, 5, 19.

In causa facili cuivis licet esse disertum. OVID. *trist.* 3, 11, 21.

Pectus est, quod disertos facit, et vis mentis. QUINTIL. *instit. orat.* 10, 7, 15.

Dissensio.

Non potestatum dissimilitudo, sed animorum disjunctio dissensionem facit. CIC. *de leg. agr.* 2, 6, 14.

Dissensio ab alio incipiat, a te autem reconciliatio. SEN. *de mor. no.* 49.

Dissimulare.

Saepe dissimulare satius quam vel ulcisci fuit. P. SYRI *sent.* 541.

Dives. Divitiae.

Nihil nocentius novicio divite est. SEN. *controv.* 2, 9. §. 28.

Mihi crede, non potes dives esse et felix. SEN. *de mor. no.* 103.

Neminem pecunia divitem fecit. SEN. *epist.* 119, 9.

Locupletem facit non multa possidere, sed modica desiderare. VAL. MAX. *fact. et dict. mem.* 4, 3, 6.

Non est dives opum dives, nec pauper inopsque
infelix: alio nec magis alter eget.
Dives eget gemmis, Cereali munere pauper:
sed quum egeant ambo, pauper egens minus est.
AUSON. *epigr.* 134.

Quis dives? Qui nihil cupiat. Quis pauper? Avarus.
AUSON. *sept. sapient. sent.* 1, 3.

Dives qui fieri vult,
et cito vult fieri. JUVEN. *sat.* 14, 176 *sq.*

Omnis res,
virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris
divitiis parent; quas qui construxerit, ille
clarus erit, fortis, justus, sapiensne? etiam, et rex
et quidquid volet. HORAT. *sat.* 2, 3, 94 *sqq.*

Infirmi animi est pati non posse divitias. SEN. *epist.* 5, 5 (6).

Is maxime divitiis fruitur, qui minime divitiis indiget. SEN. *epist.* 14, 15 (17).

Brevissima ad divitias per contemptum divitiarum via est. SEN. *epist.* 62, 2 (3).

Quae sunt magnae divitiae? non desiderare divitias. Sen. *de mor. no.* 45.

Utendum est divitiis, non abutendum. Sen. *de mor. no.* 78.

Opes invisae merito sunt forti viro,
quia dives arca veram laudem intercipit. Phaedr. *fab.* 4, 12, 1 *sq.*

Imperat aut servit collecta pecunia cuique,
tortum digna sequi potius quam ducere funem. Horat. *epist.* 1, 10, 47 *sq.*

Divinitas.

Hominem consequitur aliquando, numquam comitatur divinitas. Curt. *de gest. Alex.* 8, 5 (19), 16.

Doctrina. Doctus homo.

Est illa Platonis vera vox omnem doctrinam harum ingenuarum et humanarum artium uno quodam societatis vinculo contineri. Cic. *de orat.* 3, 6, 21.

Studia doctrinae prudentibus et bene institutis pariter cum aetate crescunt. Cic. *de senect.* 14, 50.

Saepius ad laudem atque virtutem natura sine doctrina quam sine natura valuit doctrina. Cic. *pro Arch. poët.* 7, 15.

Ut ager quamvis fertilis sine cultura fructuosus esse non potest, sic sine doctrina animus. Cic. *Tusc. disput.* 2, 5, 13.

Doctrina . . . vim promovet insitam,
rectique cultus pectora roborant. Horat. *carm.* 4, 4, 33 *sq.*

Homo doctus in se semper divitias habet. PHAEDR. *fab.* 4, 22, 1.

Dolor.

Plerumque omnis dolor per lacrimas effluit. SEN. *controv.* 5 (10), 30. *p.* 300 *ed. Burs.*

Levis est dolor, qui capere consilium potest. SEN. *Med.* 155.

Dolosus.

Numquam te fallant animi sub vulpe latentes. HORAT. *epist.* 2, 3, 437.

Dominus.

Frons domini plus potest quam occipitium. PLIN. *nat. hist.* 18, 5 (6), 31.

Oculi et vestigia domini res agro saluberrimae. COLUM. *de re rust.* 4, 18, 1.

Male agitur cum domino, quem villicus docet. COLUM. *de re rust.* 11, 1, 4.

Domus.

Non domo dominus, sed domino domus honestanda est. CIC. *de offic.* 1, 39, 139.

Quid prodest foris esse strenuum, si domi male vivitur? VAL. MAX. *fact. et dict. mem.* 2, 9 *init.*

Dux belli.

Ducis in consilio posita est virtus militum. P. SYRI *sent.* 128.

Militaris sine duce turba corpus est sine spiritu. CURT. *de gest. Alex.* 10, 6 (19), 8. — *Cf.* **Imperator.**

Ebrius. Ebrietas.

Absentem laedit, cum ebrio qui litigat. P. SYRI *sent.* 3.

Nimis vile est vinum atque amor,
si ebrio atque amanti impune facere quod lubeat licet.
PLAUT. *Aul.* 4, 10, 20 (753) *sq.*

Non est ab homine numquam sobrio postulanda prudentia. CIC. *Phil.* 2, 32, 81.

Quid non ebrietas designat? operta recludit,
spes jubet esse ratas, ad proelia trudit inertem,
sollicitis animis onus eximit, addocet artes. HORAT. *epist.* 1, 5, 16 *sq.*

Ebrietas ut vera nocet, sic ficta juvabit. OVID. *art. am.* 1, 597.

Educatio.

Educatio et disciplina mores faciunt et unus quisque sapit, quod didicit. SEN. *de mor. no.* 2.

Parentes objurgatione digni sunt, qui nolunt liberos suos severa lege proficere. PETRON. *satyr.* 4, 1.

Egens. Egestas.

Egens aeque est is, qui non satis habet, et is, cui satis nihil potest esse. CORNIF. *rhet.* 4, 17, 24.

Egestas facile habetur sine damno. SALLUST. *Cat.* 37, 3.

Et multum desiderare egentis est signum, et nihil parcere egestatis est initium. RUTIL. LUP *de fig. sent.* 2. §. 15.

Quae est maxima egestas? avaritia. Sen. *de mor. no.* 57.

Elatio animi.

Elatio animi, si justitia vacat, in vitio est. Cic. *de offic.* 1, 19, 62.

Eloquentia.

Ut hominis decus ingenium, sic ingenii ipsius lumen est eloquentia. Cic. *Brut.* 15, 59.

Facilis ab eloquentia in omnes artes discursus est. Sen. *controv.* 2. *praef.* §. 3.

Magna debet esse eloquentia quae invitis placeat. Sen. *controv.* 5 (10). *praef.* §. 4.

Eloquentiam, quae admirationem non habet, nullam judico. Cic. *ap.* Quintil. *instit. orat.* 8, 3, 6. — *Cf.* **Facundia.**

Emendatio vitiorum.

Ex vitio alius sapiens emendat suum. P. Syri *sent.* 152.

Emptio.

Mala emptio semper ingrata. Plin. *epist.* 1, 24, 2.

Quod male emptum est semper poenitet. Cato *ap.* Plin. *nat. hist.* 18, 5 (6), 26.

Error. Errare.

Suus cuique attributus est error. Catull. *carm* 22, 20.

Saepe error ingens sceleris obtinuit locum. Sen. *Herc. fur.* 1238.

Error a culpa vacat. SEN. *Herc. Oet.* 983.

Cujusvis est hominis errare, nullius nisi insipientis in errore perseverare: posteriores enim cogitationes, ut ajunt, sapientiores solent esse. CIC. *Phil.* 12, 2, 5.

Nemo errat uni sibi, sed dementiam spargit in proximos accipitque invicem. SEN. *epist.* 94, 53 (54).

Nemo sibi tantummodo errat, sed alieni erroris et causa et auctor est. SEN. *de vit. beat.* 1, 4.

Eventus. Exitus.

Hoc plerumque facimus, ut consilia eventis ponderemus et, cui bene quid processerit, multum illum providisse, cui secus, nihil sensisse dicamus. CIC. *pro Rabir. post.* 1, 1.

Eventus stultorum magister est. LIV. *hist.* 22, 39, 10.

Careat successibus opto,
quisquis ab eventu facta notanda putat. OVID. *her.* 2, 85 *sq.*

Non eventus imputari debet cujusque rei, sed consilium. SEN. *controv.* 5 (10), 32. §. 11.

Numquam mens exitu aestimanda est. QUINTIL. *decl.* 281. p. 135 *ed Bip.*

Exitus acta probat. OVID. *her.* 2, 85.

Exitus in dubio est. OVID. *fast.* 2, 782.

Quodsi in secundis rebus bonam quoque mentem darent dei, non ea solum quae evenissent, sed etiam ea quae evenire possent, reputaremus. LIV. *hist.* 30, 30, 15.

Quemcumque dederit exitum casus, feras. SEN. *Hippol.* 138.

Exemplum.

Nihil recte sine exemplo docetur aut discitur. Co-LUM. *de re rust.* 11, 1, 4.

Sic agitur censura et sic exempla parantur,
quum vindex alios quod monet ipse facit. OVID. *fast.* 6, 647 *sq.*

Longum iter est per praecepta, breve et efficax per exempla. SEN. *epist.* 6, 5.

Mala exempla in eos redundant, qui faciunt. SEN. *epist.* 7, 5.

Infidelis recti magister est metus. Melius homines exemplis docentur, quae in primis hoc in se boni habent, quod approbant quae praecipiunt fieri posse. PLIN. *paneg.* 45, 6.

Velocius et citius nos
corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
quum subeant animos auctoribus. JUVEN. *sat.* 14. 31 *sqq.*

Exercitus.

Exercitus labore proficit, otio consenescit. VEGET. *de re mil.* 3, 26.

Exercitatio.

Exercitatio artem parat. TACIT. *Germ.* 24, 1.

Exitus, *vid.* Eventus.

Facere. Factum. Facinus.

Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. LAMPR. *Alex. Sev.* 51.

Visne hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis? LAMPR. *Alex. Sev.* 51.

Id facere laus est, quod decet, non, quod liquet. SEN. *Octav.* 454.

Stultus es, qui facta infecta facere verbis postules. PLAUT. *Truc.* 4, 2, 17 (702).

Multa, dum fiunt, turpia, facta placent. OVID. *art. am.* 3, 218.

Non fit sine periclo facinus magnum nec memorabile. TERENT. *Heaut. tim.* 2, 3, 73 (314).

Facetiae.

Asperae facetiae, ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt. TACIT. *annal.* 15, 68. — *Cf.* **Jocus.**

Facilitas.

Facilitate nihil est homini melius. TERENT. *Adelph.* 5, 4, 7 (861).

Facundia.

Discitur, innocuas ut agat facundia causas:
protegit haec sontes immeritosque premit. OVID. *trist.* 2, 273 *sq.* — *Cf.* **Eloquentia.**

Fallere. Fallacia.

Fallite fallentes. ex magna parte profanum
sunt genus. in laqueos, quos posuere, cadant. OVID. *art. am.* 1, 645 *sq.*

Quidam fallere docuerunt, dum timent falli. SEN. *epist.* 3, 3.

Quoties necesse est fallere aut falli a suis,
patiare potius ipse, quam facias, scelus. SEN. *Phoeniss.* 493 *sq.*

Fallacia
alia aliam trudit. TERENT. *Andr.* 4, 4, 39 (778) *sq.*

Fama.

Ut fama est homini, exin solet pecuniam invenire.
Ego si bonam famam mihi servasso, sat ero dives.
PLAUT. *Most.* 1, 3, 70 (227) *sq.*

Bona fama in tenebris proprium splendorem obtinet.
P. SYRI *sent.* 67.

Fama manet facti. OVID. *fast.* 2, 379.

Memorem famam quod bene cessit habet. OVID. *fast.* 2, 380.

Fama post cineres major venit. OVID. *ex Pont.* 4, 16, 3.

Fama vix vero favet. SEN. *Hippol.* 269.

Minuit praesentia famam. CLAUDIAN. *de bell. Gild.* 385.

Fames.

Cibi condimentum est fames. CIC. *de fin.* 2, 28, 90.

Malum panem tibi tenerum et siligineum fames reddet.
SEN. *epist.* 123, 2.

Parvo fames constat, magno fastidium. SEN. *epist.* 17, 3 (4).

Fatum.

Fata viam invenient. VIRG. *Aen.* 3, 395.

Quo fata trahunt retrahuntque, sequamur. VIRG. *Aen.* 5, 709.

Nescia mens hominum fati sortisque futurae. VIRG. *Aen.* 10, 501.

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt. SEN. *epist.* 107, 11.

Nullo fata loco possis excludere. MARTIAL. *epigr.* 4, 60, 5.

Labimur saevo rapiente fato. SEN. *Oedip.* 125.

Fatis agimur. cedite fatis. SEN. *Oedip.* 980.

Multi ad fatum
venere suum, dum fata timent. SEN. *Oedip.* 993 *sq.*

Medicina vinci fata non possunt. QUINTIL. *decl.* 268 *extr.*

Favor.

Quo se fortuna, eodem etiam favor hominum inclinat. JUSTIN. *hist. Phil.* 5, 1, 11.

Est naturalis favor pro laborantibus. QUINTIL. *instit. orat.* 4, 1, 9.

Favor et misericordia acres et vehementes primos impetus habent, paulatim consilio et ratione quasi restincta considunt. PLIN. *epist.* 2, 11, 6.

Pravo favore labi mortales solent. PHAEDR. *fab.* 5, 5, 1.

Scribentem juvat ipse favor minuitque laborem,
cumque suo crescens pectore fervet opus. OVID. *ex Pont.* 3, 9, 21 *sq.*

Felix. Felicitas.

O vitam misero longam, felici brevem! P. Syri *sent.* 353.

Felix se nescit amari. Lucan. *Phars.* 7, 727.

Felix est non qui aliis videtur, sed qui sibi. Sen. *de remed. fort.* 16. §. 10.

Quos felices Cynthia vidit,
vidit miseros enata dies.
Rarum est felix idemque senex. Sen. *Herc. Oet.* 641 *sqq.*

Non sibi felix pauper habetur,
nisi felices cecidisse videt. Sen. *Herc. Oet.* 673 *sq.*

Nemo mortalium est felix. abunde agitur atque indulgenter a fortuna deciditur cum eo, qui jure dici non infelix potest. Plin. *nat. hist.* 7, 40 (41), 130.

Tanto brevius omne, quanto felicius tempus. Plin. *epist.* 8, 14, 10.

Est felicibus difficilis miseriarum vera aestimatio. Quintil. *decl.* 9, 6.

Felicitas infelici innocentia est. P. Syri *sent.* 155.

Omnis instabilis et incerta felicitas est. Sen. *controv.* 1, 1. §. 3.

Res est inquieta felicitas: ipsa se exagitat. Sen. *epist.* 36, 1.

O quantum caliginis mentibus nostris objicit magna felicitas! Sen. *de brev. vit.* 14, 1 (13, 7).

Miseriae tolerantur, felicitate corrumpimur. Tacit. *hist.* 1, 15.

Nulla tam modesta felicitas est, quae malignitatis dentes vitare possit. VAL. MAX. *fact. et dict. mem.* 4, 7. *Ext.* 2.

Femina, *vid.* **Mulier.**

Festinatio.

Omnia non properanti clara certaque erunt, festinatio improvida est et caeca. LIV. *hist.* 22, 39. §. 22. — *Cf.* **Celeritas.**

Fides.

Fac fideli sis fidelis, cave fidem fluxam geras. PLAUT. *Capt.* 2, 3, 79 (439).

Fidem nemo umquam perdit, nisi qui non habet. P. SYRI *sent.* 159.

Fidem qui perdit, perdere ultra nil potest. P. SYRI *sent.* 160.

Fidem qui perdit, quo se servet relicuo? P. SYRI *sent.* 161.

Fides ut anima, unde abiit, eo numquam redit. P. SYRI *sent.* 162.

Etiam hosti est aequus qui habet in consilio fidem. P. SYRI *sent.* 140.

Fundamentum est justitiae fides, id est dictorum conventorumque constantia et veritas. CIC. *de offic.* 1, 7, 23.

Cum fide omnis humana societas tollitur. APPIUS CLAUDIUS *ap.* LIV. *hist.* 6, 41, 11.

Nusquam tuta fides. VIRG. *Aen.* 4, 373.

Multum in amore fides, multum constantia prodest. PROPERT. *carm.* 2, 26, 27.

Tarda solet magnis rebus inesse fides. OVID. *heroid.* 17, 130.

Cum fortuna statque caditque fides. OVID. *ex Pont.* 2, 3, 10.

Quantum quisque sua nummorum servat in arca,
tantum habet et fidei. JUVEN. *sat.* 3, 143 *sq.*

Rara fides, ubi jam melior
fortuna ruit. SEN. *Herc. Oet.* 602 *sq.*

Prona est timori semper in pejus fides. SEN. *Herc. fur.* 316.

Non intrat umquam regium limen fides. SEN. *Agam.* 285.

Pretio parata vincitur pretio fides. SEN. *Agam.* 289.

Poscunt fidem secunda, at adversa exigunt. SEN. *Agam.* 934.

Ferrum tuetur principem; melius fides. SEN. *Octav.* 456.

Teneris in annis haud satis clara est fides. SEN. *Octav.* 538.

Aditum nocendi perfido praestat fides. SEN. *Oedip.* 686.

Fiducia nimia.

Nimia fiducia magnae calamitati solet esse. CORN. NEP. *Pelop.* 3, 1.

Ubi vanus animus aura captus frivola
arripuit insolentem sibi fiduciam,

facile ad derisum stulta levitas ducitur. PHAEDR. *fab.* 5, 7, 1 *sqq.*

Filius.

Ut quisque suum volt esse (filium), ita est. TERENT. *Adelph.* 3, 3, 45 (399).

Finis.

Exspectare Solon finem docet. AUSON. *sept. sapient. sent.* 8, 7.

Forma.

Formosa facies muta commendatio est. P. SYRI *sent.* 163.

Nimia est miseria nimis pulcrum esse hominem. PLAUT. *Mil. glor.* 1, 1, 68.

Formae dignitas aut morbo deflorescit aut vetustate. CORNIF. *rhet.* 4, 27, 38.

O formose puer, nimium ne crede colori! VIRG. *ecl.* 2, 17.

Lis est cum forma magna pudicitiae. OVID. *her.* 16, 288.

Forma viros neglecta decet. OVID. *art. am.* 1, 509.

Forma bonum fragile est. quantumque accedit ad annos,
fit minor, et spatio carpitur ipsa suo. OVID. *art. am.* 2, 113 *sq.*

Decens facies longis vitiabitur annis,
rugaque in antiqua fronte senilis erit. OVID. *trist.* 3, 7, 33 *sq.*

Fastus inest pulchris sequiturque superbia formam.
OVID. *fast.* 1, 419.

Anceps forma bonum mortalibus,
exigui donum breve temporis,
ut velox celeri pede laberis! SEN. *Hippol.* 761 *sqq.*

Res est forma fugax. quis sapiens bono
confidat fragili? dum licet, utere. SEN. *Hippol.* 773.

Raris forma viris (secula prospice)
impunita fuit. SEN. *Hippol.* 820 *sq.*

Amantes de forma judicare non possunt. QUINTIL. *instit. orat.* 6, 2, 6.

Fors.

Fors omnia versat. VIRG. *ecl.* 9, 5. — *Cf.* **Fortuna.**

Fortis.

Fortibus est fortuna viris data. ENN. *annal.* 262.

Fortes fortuna adjuvat. TERENT. *Phorm.* 1, 4, 25 (203); *cf.* CIC. *Tusc.* 2, 4, 11. LIV. *hist.* 34, 37, 4.

Fortuna fortes metuit, ignavos premit. SEN. *Med.* 159.

Ignis aurum probat, miseria fortes viros. SEN. *de provid.* 5, 8 (9).

Fortuna.

Ex hominum questu facta Fortuna est dea. P. SYRI *sent.* 149.

Fortuna quum blanditur, captatum venit. P. SYRI *sent.* 164.

Fortuna hominibus plus quam consilium valet. P. Syri *sent.* 165.

Fortunam citius reperias quam retineas. P. Syri *sent.* 166.

Fortuna nimium quem fovet, stultum facit. P. Syri *sent.* 167.

Fortuna quo se, eodem et inclinat favor. P. Syri *sent.* 169.

Fortuna vincit, nisi si tota vincitur. P. Syri *sent.* 170.

Fortuna vitrea est: tum quum splendet, frangitur. P. Syri *sent.* 171.

Levis est Fortuna: cito reposcit quae dedit. P. Syri *sent.* 253.

Male geritur, quidquid geritur Fortunae fide. P. Syri *sent.* 268.

Minimum eripit Fortuna, cui minimum dedit. P. Syri *sent.* 289.

Stulti timent fortunam, sapientes ferunt. P. Syri *sent.* 476.

Fortuna immoderata in bono aeque atque in malo. Laber. *com. fr.* 113.

Proinde ut quisque fortuna utitur,
ita praecellet. Plaut. *Pseud.* 2, 3, 13 (679) *sq.*

Fortuna humana fingit artatque ut lubet. Plaut. *Capt.* 2, 2, 54 (304).

O fortuna, ut numquam perpetuo es data! Terent. *Hec.* 3, 3, 46 (406).

Faber est suae quisque fortunae. Appius *ap.* Pseudo-Sall. *de ord. rep.* 1, 1. §. 2.

Sui cuique mores fingunt fortunam hominibus. Poet. *ap.* Nep. *Att.* 11, 6.

Suis fortuna cuique fingitur moribus. Poet. *ap.* Cic. *parad.* 5, 1, 34.

Parvis momentis fortuna magnas rerum commutationes efficit. Caes. *de bell. civ.* 3, 68, 1.

Fortuna rerum humanarum domina. Cic. *pro Marcell.* 2, 7.

Vitam regit fortuna, non sapientia. Cic. *Tusc. disput.* 5, 9, 25 (ex Graec. Callisthenis).

Non solum ipsa Fortuna caeca est, sed eos etiam plerumque efficit caecos, quos complexa est. Cic. *de amicit.* 15, 54.

Fortuna amica varietati constantiam respuit. Cic. *de nat. deor.* 2, 16, 43.

Nihil est tam contrarium rationi et constantiae quam fortuna. Cic. *de divin.* 2, 7, 18.

In maxuma fortuna minuma licentia est. Sallust. *Catil.* 51, 13.

Fortuna meliores sequitur. Sallust. *hist. fragm.* 1, 48 (51). §. 21.

Sua cuique fortuna in manu est. Liv. *hist.* 24, 14, 8.

Maximae cuique fortunae minime credendum est. Liv. *hist.* 30, 30, 17.

Simul parta ac sperata decora unius horae fortuna evertere potest. Liv. *hist.* 30, 30, 21.

Raro simul hominibus bona fortuna bonaque mens datur. Liv. *hist.* 30, 42, 15.

Modum imponere secundis rebus, nec nimis credere serenitati praesentis fortunae, prudentis hominis et merito felicis est. Liv. *hist.* 42, 62, 4.

Omnia munera a fortuna quum dantur, ab ea facillime adimuntur. Vitruv. *de archit.* 6. *praef.* §. 3.

Fortuna plerumque eos, quos plurimis beneficiis ornavit, ad duriorem casum reservat. Auct. *bell. Alex.* 25, 4.

Quidquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.
Virg. *Aen.* 5, 710.

Bene ferre magnam
disce fortunam. Horat. *carm.* 3, 27, 74 *sq.*

Fortuna non mutat genus. Horat. *epod.* 4, 6.

heu, Fortuna, quis est crudelior in nos
te deus? ut semper gaudes illudere rebus
humanis. Horat. *sat.* 2, 8, 61 *sqq.*

Dat id cuicumque libet fortuna rapitque,
Irus et est subito, qui modo Croesus erat. Ovid. *trist.* 3, 7, 41 *sq.*

Fortuna miserrina tuta est:
nam timor eventus deterioris abest. Ovid. *ex Pont.* 2, 2, 31 *sq.*

Rara quidem virtus, quam non Fortuna gubernet,
quae maneat stabili quum fugit illa pede. Ovid. *trist.* 5, 14, 29 *sq.*

Nil adeo fortuna gravis miserabile fecit,
ut minuant nulla gaudia parte malum. Ovid. *ex Pont.* 4, 4, 5 *sq.*

Fragilis et caduca felicitas est et omnis blandien-

speciosus cum periculo nitor. SEN. *controv.* 2, 9. §. 1.

Nihil eripit fortuna, nisi quod dedit. SEN. *de const. sap.* 5, 2 (4).

Quod non dedit fortuna, non eripit. SEN. *epist.* 59 18.

Fortuna opes auferre, non animum, potest. SEN. *Med.* 176.

Magna servitus est magna fortuna. SEN. *de consol. ad Polyb.* 7, 1 (6, 5).

Nihil dat fortuna mancipio. SEN. *epist.* 72, 9 (7).

Magnam fortunam magnus animus decet. SEN. *de clem.* 1, 5, 4 (5).

Fortuna fortes metuit, ignavos premit. SEN. *Med.* 159. — *Cf.* **Fortis.**

Quid non saeva sibi voluit Fortuna licere? MARTIAL. *epigr.* 4, 18, 7.

Fortuna multis dat nimis, satis nulli. MARTIAL. *epigr.* 12, 10, 2.

Si fortuna volet, fies de rhetore consul;
si volet haec eadem, fies de consule rhetor. JUVEN. *sat.* 7, 197 *sq.*

Fortunam tuam pressis manibus tene. Lubrica est nec invita teneri potest. CURT. *de gest. Alex.* 7, 8 (35), 24.

Fortuna spondet multa multis, praestat nemini. Vive in dies et horas, nam proprium est nihil. ORELL. INSCR. *no.* 4806. — *Cf.* **Felix, Secundae res.**

Fortuna belli.

Incertus est exitus et anceps fortuna belli. Cic. *pro Marcell.* 5, 15.

Fortuna belli artem victos quoque docet. Curt. *de Alex.* 7, 7 (30), 16.

Fortuna belli semper ancipiti in loco est. Sen. *Phoeniss.* 629.

Fragilitas humana.

Omnis dies, omnis hora quam nihil simus ostendit et aliquo argumento recenti admonet fragilitatis oblitos. Sen. *epist.* 101, 1.

Nihil semper floret; aetas succedit aetati. Cic. *Phil.* 11, 15, 39.

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
et subito casu quae valuere ruunt. Ovid. *ex Pont.* 4, 3, 35 *sq.*

Omnia humana brevia et caduca sunt et infiniti temporis nullam partem occupantia. Sen. *de consol. ad Marc.* 20, 8 (21, 1).

Omnia vetustate labuntur nec quidquam tutum a senectute est: haec solida quoque et magni roboris carpit. Sen. *nat. quaest.* 6, 10, 1.

Frater.

Quis amicior, quam frater fratri? Sallust. *Jug.* 10, 5.

Fratrum quoque gratia rara est. Ovid. *met.* 1, 145.

Nefas nocere vel malo fratri puta. Sen. *Thyest.* 219.

Fraus.

Fraus est accipere quod non possis reddere. P. SYRI *sent.* 173.

Fraus fidem in parvis sibi praestruit, ut, quum operae pretium sit, cum mercede magna fallat. LIV. *hist.* 28, 42, 7.

Fraude perit virtus. OVID. *fast.* 2, 227.

Frons.

Frons est animi janua. QU. CIC. *de petit. consul.* 11, 44.

Frontis nulla fides. JUVEN. *sat.* 2, 8. — *Cf.* **Vultus.**

Frugalitas.

Modice et modeste melius est vitam vivere. PLAUT. *Pers.* 3, 1, 18 (346).

Esse oportet, ut vivas, non vivere, ut edas. CORNIF. *rhet.* 4, 28, 39.

Bene est cui deus obtulit
parca, quod satis est, manu. HORAT. *carm.* 3, 16, 43 *sq.*

Quod satis est cui contigit, is nihil amplius optet. HORAT. *epist.* 1, 2, 46.

Discite, quam parvo liceat producere vitam,
et quantum natura petat. LUCAN. *Phars.* 4, 377 *sq.*

Frugalitatis humanae nimia in prosperis rebus oblivio est. CURT. *de gest. Alex.* 4, 14 (54), 20.

Furor.

Furor fit laesa saepius patientia. P. SYRI *sent.* 175.

Furor iraque mentem praecipitant. VIRG. *Aen.* 2, 316 *sq.*

Furor cogit sequi
pejora. vadit animus in praeceps sciens
remeatque, frustra sana consilia appetens. SEN. *Hippol.* 178 *sq.*

Futura.

Futura pungunt nec se superari sinunt. P. SYRI *sent.* 176.

Quid sit futurum cras, fuge quaerere et
quem fors dierum cumque dabit, lucro
appone. HORAT. *carm.* 1, 9, 13 *sqq.*

Quod adest, memento
componere aequus; cetera fluminis
ritu feruntur. HORAT. *carm.* 3, 29, 32 *sqq.*

Male humanis ingeniis natura consuluit, quod plerumque non futura, sed transacta perpendimus. CURT. *de gest. Alex.* 8, 2 (6), 1.

Futura, dum desiderabilia fastidio praesentium fiunt, semper meliora creduntur. OROS. *hist.* 4. *praef.* p. 211 *ed. Haverc.*

Gaudium.

Bene perdis gaudium, ubi dolor pariter perit. P. SYRI *sent.* 55.

Nil adeo fortuna gravis miserabile fecit,
ut minuant nulla gaudia parte malum. OVID. *ex Pont.* 4, 4, 5 *sq.*

Omnes tendunt ad gaudium, sed unde stabile magnumque consequantur, ignorant. SEN. *epist.* 59, 15.

Multis damnosa fuere gaudia. Claudian. *de* IIII *cons. Honor.* 334 *sq.* — *Cf.* **Laetitia.**

Gloria.

Heu quam difficilis gloriae custodia est! P. Syri *sent.* 188.

Etsi nihil habet in se gloria, cur expetatur, tamen virtutem tamquam umbra sequitur. Cic. *Tusc. disput.* 1, 45, 109.

Trahimur omnes studio laudis et optimus quisque maxime gloria ducitur. Cic. *pro Arch. poët.* 11, 26.

Praeclare Socrates hanc viam ad gloriam proximam et quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut, qualis haberi vellet, talis esset. Cic. *de offic.* 2, 12, 43.

Vera gloria radices agit atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter tamquam flosculi decidunt, nec simulatum potest quidquam esse diuturnum. Cic. *de offic.* 2, 12, 43.

Facillime ad res injustas impellitur, ut quisque altissimo animo est, gloriae cupiditate. Cic. *de offic.* 1, 19, 65.

Spreta in tempore gloria interdum cumulatior redit. Liv. *hist.* 2, 47, 11.

Gloriam qui spreverit, veram habebit. Liv. *hist.* 22, 39, 19.

Gloria cuique sua est. Tibull. *carm.* 1, 4, 77.

Immensum gloria calcar habet. Ovid. *ex Pont.* 4, 2, 36.

Certe non parvas animo dat gloria vires,
et fecunda facit pectora laudis amor. Ovid. *trist.* 5, 12, 37 *sq.*

Gloria umbra virtutis est: etiam invitam comitabitur. Sen. *epist.* 79, 11 (13).

Sequi gloria, non appeti debet. Plin. *epist.* 1, 8, 14.

Vita perit, mortis gloria non moritur. Auson. *sept. sapient. sent.* 7, 2. — *Cf.* **Laus.**

Gloriosus.

Virtutis expers verbis jactans gloriam
ignotos fallit, notis est derisui. Phaedr. *fab.* 1, 11, 1 *sq.*

Gratus.

Qui, quam potuit, dat maxima, gradus abunde est,
et finem pietas contigit illa suum. Ovid. *ex Pont.* 4, 8, 37 *sq.*

Qui gratus futurus est, statim dum accipit, de reddendo cogitet. Sen. *de benef.* 2, 25, 2.

Gulosus.

Liber non potes et gulosus esse. Martial. *epigr.* 9, 10, 4.

Heres.

Mage fidus heres nascitur quam scribitur. P. Syri *sent.* 262.

Heredem ferre honestius est quam quaerere. P. Syri *sent.* 186.

Heredis fletus sub persona risus est. P. SYRI *sent.* 187.

Male secum agit aeger, medicum qui heredem facit. P. SYRI *sent.* 270.

Historia.

Nescire quid ante quam natus sis acciderit, id est semper esse puerum. CIC. *orat.* 34, 120.

Historia non assentationi, sed fidei veritatique componitur. PLIN. *epist.* 7, 17, 3.

Nec historia debet egredi veritatem et honeste factis veritas sufficit. PLIN. *epist.* 7, 33, 10.

Nihil est in historia pura et illustri brevitate dulcius. CIC. *Brut.* 75, 262.

Homo.

Lupus est homo homini, non homo, quom qualis sit
non novit.
PLAUT. *Asin.* 2, 4, 88 (495).

Quot homines, tot sententiae: suus cuique mos. TERENT. *Phorm.* 2, 4, 14 (454).

Quot capitum vivunt, totidem studiorum
milia. HORAT. *sat.* 2, 1, 27.

Natum in curas hominum genus. TIBULL. *carm.* 3, 4, 9.

Quemcumque miserum videris, hominem scias. SEN. *Herc. fur.* 463.

Plures homines sunt mali (οἱ πλεῖστοι κακοί). AUSON. *lud. sept. sapient.* 1, 12.

Quid est homini inimicissimum? homo. SEN. *de mor. no.* 5.

Pernicies homini quae maxima? Solus homo alter. AUSON. *sept. sapient. sent.* 1, 2.

Homines sumus, non dei. PETRON. *satyr.* 75, 1.

Quid est homo? quodlibet quassum vas et quolibet fragile jactatu. SEN. *de consol. ad Marc.* 11, 2 (3).

Quid est homo? imbecillum corpus et fragile. SEN. *de consol. ad. Marc.* 11, 2 (3).

Quid sumus homines, nisi animae corporibus clausae? ARNOB. *adv. nat.* 2. *no.* 13.

Honestum.

Non potest honestum esse, quod non est liberum. SEN. *epist.* 66, 16.

Quod facere turpe est, dicere ne honestum puta. P. SYRI *sent.* 726. (*Cf.* Isocrat. ad Demonicum 4, 15: *ἃ ποιεῖν αἰσχρόν, ταῦτα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλόν.*)

Honos.

Honos honestum decorat, inhonestum notat. P. SYRI *sent.* 200.

Corpora debentur maestis exsanguia bustis:
effugiunt structos nomen honorque rogos. OVID. *ex Pont.* 3, 2, 31 *sq.*

Virtutis uberrimum alimentum est honos. VAL. MAX. *fact. et dict. mem.* 2, 6, 5.

Non erunt honores umquam fortuiti muneris. AUSON. *sept. sapient. sent.* 5, 3.

Hora.

Bona nemini hora est, ut non alicui sit mala. P. Syri *sent.* 69.

Solet hora, quod multi anni abstulerint, reddere. P. Syri *sent.* 471.

Tu quamcumque deus tibi fortunaverit horam
grata sume manu, neu dulcia differ in annum. Horat. *epist.* 1, 11, 22 *sq.*

Eunt anni more fluentis aquae.
Nec quae praeteriit, iterum revocabitur unda,
nec quae praeteriit, hora redire potest. Ovid. *art. am.* 3, 62 *sqq.*

Certam praesens vix habet hora fidem. Ovid. *ex Pont.* 4, 3, 50.

Dum loquor, hora fugit. Ovid. *amor.* 1, 11, 15.

Volat ambiguis mobilis alis hora. Sen. *Hippol.* 1141.

Vive memor leti! fugit hora; hoc, quod loquor, inde est. Pers. *sat.* 5, 153.

Hospes.

In bono hospite atque amico quaestus est quod sumitur.
Plaut. *Mil. glor.* 3, 1, 80 (674).

Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes. Ovid. *trist.* 5, 6, 13.

Hostis.

Fas est et ab hoste doceri. Ovid. *met.* 4, 428.

Bene uti pugnes, bene pugnans efficit hostis. Ovid. *ex Pont.* 2, 3, 53.

Nulla est victoria major,
quam quae confessos animo quoque subjugat hostes.
CLAUDIAN. *de* VI. *cons. Honor.* 248 *sq.*

Humanae res.

Non facile sine deum opera humana propria sunt bona.
ATT. *trag. fr.* 159.

Homo sum: humani nil a me alienum puto. TERENT. *Heaut. tim.* 1, 1, 25 (77).

Nihil magnum est in rebus humanis, nisi magno animo despicias. SEN. *de mor. no.* 44.

Humanitas.

Humanitati qui se non accommodat,
plerumque poenas oppetit superbiae. PHAEDR. *fab.* 3, 16, 1 *sq.*

Humiles.

Humiles laborant, ubi potentes dissident. PHAEDR. *fab.* 1, 32, 1.

Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi. HORAT. *epist.* 1, 2, 14.

Dat veniam corvis, vexat censura columbas. JUVEN. *sat.* 2, 63.

Quamvis sublimes debent humiles metuere,
vindicta docili quia patet sollertiae. PHAEDR. *fab.* 1, 30, 1 *sq.*

Quomcumque populum tristis eventus premit,
periclitatur magnitudo principum;

minuta plebes facili praesidio latet. PHAEDR. *fab.* 4, 6, 11 *sqq.*

Ignavus. Ignavia.

Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus,
ut capiant vitium, ni moveantur aquae. OVID. *ex Pont.* 1, 5, 5 *sq.*

Ignavia corpus hebetat, labor firmat; illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. CELS. *de medic.* 1, 1. §. 3.

Ignorantia.

Iners malorum remedium ignorantia est. SEN. *Oedip.* 515.

Ignoscere.

Humanum ignoscere est. PLAUT. *Merc.* 2, 2, 48 (319).

Ignoscito saepe alteri, numquam tibi. P. SYRI *sent.* 208.

Alteri semper ignoscito, tibi ipsi numquam. SEN. *de mor. no.* 111.

Ignoscas aliis multa, nihil tibi. AUSON. *sept. sapient. sent.* 3, 4.

Qui unius culpae ignoscit, suadet pluribus. P. SYRI *sent.* 431.

Imperare sibi.

Stultum imperare reliquis, qui nescit sibi. P. SYRI *sent.* 753.

Imperare sibi maximum imperium est. SEN. *epist.* 113, 24 (30).

Imperator.

Non potest exercitum is continere imperator, qui se ipse non continet. CIC. *de imp. Pomp.* 14, 38.

Sciant homines bono imperatore haud magni fortunam momenti esse, mentem rationemque dominari. LIV. *hist.* 22, 25, 14.

Imperaturus omnibus eligi debet ex omnibus. PLIN. *paneg.* 7, 5. — *Cf.* **Dux belli.**

Imperitus.

Homine imperito numquam quidquam injustius est. TERENT. *Adelph.* 1, 2, 18 (98).

Imperium.

Facile est imperium in bonos. PLAUT. *Mil. glor.* 3, 1, 17 (611).

Quo quis plus potest, eo moderatius imperio uti debet. LIV. *hist.* 34, 7, 15.

Nullum est imperium tutum nisi benevolentia munitum. CORN. NEP. *Dion.* 5, 4.

Nemo alteri imperium volens concedit. PSEUDO-SALLUST. *de ord. rep.* 1, 1. §. 4.

Nemo umquam imperium flagitio quaesitum bonis artibus exercuit. TACIT. *hist.* 1, 30.

Non alia facies est quieti moratique imperii quam sereni coeli et nitentis. SEN. *de clem.* 1, 7, 2.

Majestas imperii salutis est tutela. CURT. *de gest. Alex.* 8, 5 (18), 11.

Violenta nemo imperia continuit diu,
moderata durant. SEN. *Troad.* 258 *sq.*

Aequum atque iniquum regis imperium feras. SEN. *Med.* 195.

Invisa numquam imperia retinentur diu. SEN. *Phoeniss.* 660. — *Cf.* **Regnum.**

Improbitas.

Sibi ipsa improbitas cogit fieri injuriam. P. SYRI *sent.* 466.

Improbus.

Qui se committit homini tutandum improbo,
auxilia dum requirit, exitium invenit. PHAEDR. *fab.* 1, 33, 1 *sq.*

Impudentia.

Non pudendo, sed non faciendo id, quod non decet, impudentiae nomen effugere debemus. CIC. *de orat.* 1, 26, 120.

Impudicus.

Voluntas impudicum, non corpus facit. P. SYRI *sent.* 498.

Mens impudicam facere, non casus, solet. SEN. *Hippol.* 735.

Impunitas peccandi.

Maxima illecebra est peccandi impunitatis spes. CIC. *pro Mil.* 16, 43.

Impunitas potentium.

Fures privatorum furtorum in nervo atque compe-

dibus aetatem agunt, fures publici in auro atque in purpura M. CATO *orat.* 70. *fr.* 1.

Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi. HORAT. *epist.* 1, 2, 14.

Sacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur. SEN. *epist.* 87, 20 (23).

Dat veniam corvis, vexat censura columbas. JUVEN. *sat.* 2, 63.

Incertus animus.

Ubi laeta duris mista in ambiguo jacent,
incertus animus scire quum cupiat, timet. SEN. *Oedip.* 208 *sq.*

Incommoda.

Multa ex quo fuerint commoda, ejus incommoda
aequum est ferre.
TERENT. *Hec.* 5, 3, 42 (840).

Indulgentia.

Dextera praecipue capit indulgentia mentes.
Asperitas odium saevaque bella movet. OVID. *art. am.* 2, 145 *sq.*

Inertia.

Inertia est laboris excusatio. P. SYRI *sent.* 212.

Infamia.

Hominum immortalis est infamia:
etiam tum vivit, quom esse credas mortuam. PLAUT. *Pers.* 3, 1, 27 (355) *sq.*

Falsus honor juvat et mendax infamia terret
quem, nisi mendosum et medicandum? HORAT. *epist.* 1, 16, 39 *sq.*

Ingenium.

Saepe summa ingenia in occulto latent, PLAUT. *Capt*. 1, 2, 62 (165).

Qui bono sunt genere nati, si sunt ingenio malo,
suapte culpa dammum capiunt, genus ingenio quom improbant.
PLAUT. *Merc*. 5, 4, 8 (969) *sq*.

Non aetate, verum ingenio apiscitur sapientia. PLAUT. *Trin*. 2, 2, 88 (367).

Bono med ingenio esse ornatum quam auro multo mavolo:
aurum fortuna invenitur, natura ingenium bonum.
PLAUT. *Poen*. 1, 2, 88 (170) *sq*.

Ingenium res
adversae nudare solent, celare secundae. HORAT. *sat*. 2, 8, 73 *sq*.

Ingenium quondam fuerat pretiosius auro.
At nunc barbaria est grandis, habere nihil. OVID. *amor*. 3, 8, 3 *sq*.

Ingenium mala saepe movent. OVID. *art. am*. 2, 43.

Nil non mortale tenemus
pectoris exceptis ingeniique bonis. OVID. *trist*. 3, 7, 43 *sq*.

Non solet ingeniis summa nocere dies,
Famaque post cineres major venit. OVID. *ex Pont*. 4, 16, 2 *sq*.

Ingenium longa rubigine laesum
torpet et est multo quam fuit ante minus. OVID. *trist*. 5, 12, 21 *sq*.

Nihil tam mortiferum ingeniis quam luxuria est. SEN. *controv.* 1. *praef.* §. 7.

Immature magnum ingenium non est vitale. SEN. *controv* 1, 1. §. 22.

Nullum magnum ingenium sine mixtura dementiae fuit. SEN. *de tranqu.* 15, 16 (17, 10).

Immortalis est ingenii memoria. SEN. *de consol. ad Polyb.* 18 (37), 2.

Ingenia quo illustriora, breviora sunt. SEN. *de consol. ad Marc.* 23, 3 (4).

Male respondent coacta ingenia: reluctante natura irritus labor est. SEN. *de tranqu.* 6, 2.

Severior loci disciplina firmat ingenium aptumque magnis conatibus reddit. SEN. *epist.* 51, 10 (11).

Locorum asperitas hominum quoque ingenia durat. CURT. *de gest. Alex.* 7, 3 (12), 6.

Ingenia hominum ubique locorum situs format. CURT. *de gest. Alex.* 8, 9 (31), 20.

Amor ingenii neminem umquam divitem fecit. PETRON *satyr.* 83, 9.

Ingenia melius recta se in laudes ferunt,
si nobilem animum vegeta libertas alit. SEN. *Hippol.* 459 *sq.*

Aurum et opes et rure frequens donabit amicus:
qui velit ingenio cedere, rarus erit. MARTIAL. *epigr.* 8, 18, 9 *sq.*

Ingenium non datur facultatibus, nec studio paratur, sed cum ipsa mentis formatione generatur. MIN. FEL. *Octav.* 16, 7.

Ingenuae artes.

Artibus ingenuis quaesita est gloria multis. OVID *ex Pont.* 2, 7, 47.

Artibus ingenuis . . . .
pectora mollescunt asperitasque fugit. OVID. *ex Pont.* 1, 6, 7 *sq.*

Ingenuas didicisse fideliter artes
emollit mores, nec sinit esse feros. OVID. *ex Pont.* 2, 9, 47 *sq.*

Ingenuitas.

Contra impudentem stulta est nimia ingenuitas. P. SYRI *sent.* 94.

Ingloria vita.

Est socia mortis homini vita ingloria. P. SYRI *sent.* 135.

Ingratus.

Ingrato homine nihil impensius est. PLAUT. *Bacch.* 3, 2, 10 (394).

Ingratus unus omnibus miseris nocet. P. SYRI *sent.* 216.

Ingrata sunt beneficia, quis comes metus. P. SYRI *sent.* 215.

Malignos fieri maxime ingrati docent. P. SYRI *sent.* 276.

Est aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas. OVID. *heroid.* 12, 21.

Nil homine terra pejus ingrato creat. AUSON. *epigr.* 140, 1.

Inimicus.

Inimicum quamvis humilem docti est metuere. P. SYRI *sent.* 217.

Inimicum ulcisci vitam accipere est alteram. P. SYRI *sent.* 218.

Inimicus gravior qui latet in pectore. P. SYRI *sent.* 219.

Scitum est illud Catonis: 'melius de quibusdam acerbos inimicos mereri quam eos amicos, qui dulces videantur; illos verum saepe dicere, hos numquam.' CIC. *de amicit.* 24, 90.

Pejora sunt tecta odia quam aperta. itaque te minus oquax inimicus offendit quam tacitus. SEN. *de mor.* *no.* 52.

Injuria.

Etiam qui faciunt, oderunt injuriam. P. SYRI *sent.* 144.

Injuriam aures quam oculi facilius ferunt. P. SYRI *sent.* 220.

Injuriarum remedium est oblivio. P. SYRI *sent.* 222.

Multis minatur, qui uni facit injuriam. P. SYRI *sent.* 302.

Veterem ferendo injuriam invites novam. P. SYRI *sent.* 494.

Accipere quam facere praestat injuriam. CIC. *Tusc. disput.* 5, 19, 56.

Utilis interdum est ipsis injuria passis. OVID. *heroid.* 17, 187.

Maxima est factae injuriae poena fecisse. SEN. *de ira* 3, 26, 2.

Magni animi est injurias despicere. SEN. *de ira* 2, 32, 3.

Injustus.

Injusta ab justis impetrari non decet,
justa autem ab injustis petere insipientia est:
quippe illi iniqui jus ignorant neque tenent. PLAUT. *Amph. prol.* 35 *sqq.*

Innocens. Innocentia.

Nihil est quod timeas, si innocens es. QUINTIL. *decl.* 294. p. 154 *ed. Bip.*

Verba innocenti reperire facile est, modum verborum misero tenere difficile. CURT. *de gest. Alex.* 6, 10 (37), 1.

Quam angusta innocentia est ad legem bonum esse? quanto latius officiorum patet quam juris regula? SEN. *de ira* 2, 27, 6 (2, 28, 2).

Magnum praesidium in periculis innocentia. SEN. *controv.* 3 (7), 16. §. 10.

Innocentia per se valet. QUINTIL. *decl.* 268. p. 89 *ed. Bip.*

Vera felicitas innocentia est. SEN. *de mor. no.* 63.

Inopia. Inops.

Desunt inopiae pauca, avaritiae omnia. P. SYRI *sent.* 121.

Instructa inopia est in divitiis cupiditas. P. SYRI *sent.* 229.

Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter. P. Syri *sent.* 225.

Inops, potentem dum vult imitari, perit. Phaedr. *fab.* 1, 26, 1.

Insidiae.

Nisi qui scit facere, insidias nescit metuere. P. Syri *sent.* 328.

Inventa.

Nihil est simul et inventum et perfectum. Cic. *Brut.* 18, 71.

Necessitatis inventa antiquiora sunt quam voluptatis. Cic. *orat.* 55, 185.

Alius alio plura invenire potest: nemo omnia. Auson. *epist. edyll.* 11. *praem.* p. 191 *ed. Bip.*

Invidia.

Mavelim mihi inimicos invidere, quam inimicis meis.
Nam invidere alii bene esse, tibi male esse, miseria est.
Qui invident, egent: illi quibus invidetur, rem habent.
Plaut. *Truc.* 4, 2, 31 (715) *sq.*

Invidia loquitur non quod est, sed quod subest. P. Syri *sent.* 233.

Invidiam ferre aut fortis aut felix potest. P. Syri 234.

Invidia tacite, sed inimice irascitur. P. Syri *sent.* 235.

Mage cavenda amicorum est invidia, quam insidiae hostium.
P. Syri *sent.* 523.

Invidia gloriae comes est. Corn. Nep. *Chabr.* 3. §. 3.

Assidua eminentis fortunae comes est invidia. VELL. PAT. *hist. Rom.* 1, 9, 6.

Numquam eminentia invidia carent. VELL. PAT. *hist. Rom.* 2, 40, 5.

Invidus alterius macrescit rebus opimis. HORAT. *epist.* 1, 2, 57.

Invidiam quod habet, non solet esse diu. PROPERT. *carm.* 2 (3), 25, 34.

Ars prima regni posse te invidiam pati. SEN. *Herc fur.* 353.

Intacta invidia media sunt: ad summa ferme tendit. LIV. *hist.* 45, 35, 5.

Plerumque innocentes recenti invidiae impares. TACIT. *annal.* 2, 77.

Magnanima invidia virtus caret. SIL. ITAL. *Punic.* 15, 387.

Demens superbis invidet felicibus. AUSON. *sept. sapient. sent.* 2, 3.

Invidetur praestanti florentique fortunae. CIC. *de orat.* 2, 52, 210.

Invitus.

Nulla est tam facilis res, quin difficilis siet,
quom invitus facias. TERENT. *Heaut. tim.* 4, 6, 1 (805) *sq.*

Invitum quum retineas, exire incites. P. SYRI *sent.* 237.

Da operam, ne quid umquam invitus facias. SEN. *epist.* 61, 2 (3).

Non qui jussus aliquid facit miser est, sed qui invitus facit. SEN. *epist.* 61, 3.

Ira. Iratus.

Ira furor brevis est: animum rege, qui nisi paret,
imperat; hunc frenis, hunc tu compesce catena. HORAT. *epist.* 1, 2, 62 *sq.*

Ingentes parturit ira minas. OVID. *heroid.* 12, 208.

Ut fragilis glacies, interit ira mora. OVID. *art. am.* 1, 374.

Candida pax homines, trux decet ira feras. OVID. *art. am.* 3, 502.

Immodica ira gignit insaniam. SEN. *epist.* 18, 10 (14).

Ira, quae tegitur, nocet. SEN. *Med.* 153.

Coelestis ira quos premit miseros facit. SEN. *Herc. Oet.* 441.

Ira pietatem fugat,
iramque pietas. SEN. *Med.* 943 *sq.*

Dis proximus ille,
quem ratio, non ira, movet. CLAUDIAN. *de Mall. Theod. cons.* 227 *sq.*

Iratum breviter vites, inimicum diu. P. SYRI *sent.* 239.

Iratus quum ad se rediit, sibi tum irascitur. P. SYRI *sent.* 240.

Iratus etiam facinus consilium putat. P. SYRI *sent.* 241.

Quaelibet iratis ipse dat arma dolor. OVID. *her.* 6, 140.

Amantium irae amoris integratio est. TERENT. *Andr.* 3, 3, 23 (555).

Iracundia.

Respicere nil consuevit iracundia. P. SYRI *sent.* 450.

Iracundiam qui vincit, hostem superat maximum. P. SYRI *sent.* 520.

Felicitas iracundiam nutrit. SEN. *de ira* 2, 21, 5 (7).

Jactura.

Turpis est jactura, quae fit negligentia. P. SYRI *sent.* 488.

Jocus.

Jocis temperatis delectamur, immodicis irascimur. SEN. *de const. sap.* 16, 3 (4).

Judex.

Judex damnatur, quum nocens absolvitur. P. SYRI *sent.* 247.

Bene perdit nummos, judici quos dat, nocens. P. SYRI *sent.* 56.

Apud bonum judicem argumenta plus quam testes valent. CIC. *de rep.* 1, 38, 59.

Non bene selecti judicis arca patet. OVID. *amor.* 1, 10, 38.

Bonus judex damnat improbanda, non odit. SEN. *de ira* 1, 16, 6.

Nemo non benignus est sui judex. SEN. *de benef.* 2, 26, 2.

Boni judicis est dispensare non tantum quid damnandum sit, sed quatenus. SEN. *de mor. no.* 96.

Judicium humanum.

Humanum saepe . . . judicium fallitur. Phaedr. *fab.* 5, 1, 19.

Jus.

Jus summum saepe summa est malitia. Terent. *Heaut. tim.* 4, 5, 48 (796).

Summum jus summa injuria. Cic. *de offic.* 1, 10, 33.

Summum jus antiqui summam putabant crucem. Colum. *de re rust.* 1, 7, 2.

Jus est in armis, opprimit leges timor. Sen. *Herc. fur.* 253.

Via juris ejus modi est quibusdam in rebus, ut nihil sit loci gratiae. Cic. *epist. ad Quint. fratr.* 1, 2, 3. §. 10.

Aequum jus est non quo omnes usi sunt, sed quod omnibus latum est. Sen. *epist.* 107, 6.

Jus jurandum.

Amantis jus jurandum poenam non habet. P. Syri *sent.* 15.

Qui jus jurandum servat, quovis pervenit. P. Syri *sent.* 717.

Justus. Justitia.

Injusta ab justis impetrari non decet,
justa autem ab injustis petere insipientia est. Plaut. *Amphitr. prol.* 35 *sq.*

Quam multa, justa injusta, fiunt moribus! Terent. *Heaut. tim.* 4, 7, 11 (839).

Justum et tenacem propositi virum
non civium ardor prava jubentium,

non vultus instantis tyranni
mente quatit solida. Horat. *carm.* 3, 3, 1 *sqq.*

Justum esse facile est, cui vacat pectus metu. Sen. *Octav.* 441.

Bono justitiae proxima est severitas. P. Syri *sent.* 74.

Justitiae partes sunt non violare homines, verecundiae non offendere. Cic. *de offic.* 1, 28, 99.

Fundamentum est justitiae fides, id est dictorum conventorumque constantia et veritas. Cic. *de offic.* 1, 7, 23.

Justitia sine prudentia multum poterit, sine justitia nihil valebit prudentia. Cic. *de offic.* 2, 9, 34.

Discite justitiam moniti et non temnere divos. Virg. *Aen.* 6, 620.

Justitia utilibus rectum praeponere suadet,
communesque sequi leges injustaque numquam
largiri sociis. Claudian. *de laud. Stilich.* 2, 103 *sqq.*

Juvenis. Juventus.

Pejora juvenes facile praecepta audiunt. Sen. *Thyest.* 309.

Laetitia juvenem, frons decet tristis senem. Sen. *Hippol.* 453.

Juvenilibus annis
luxuriant animi corporaque ipsa vigent. Ovid. *fast.* 5, 273 *sq.*

Juvenile vitium est regere non posse impetus. Sen. *Troad.* 250.

Juvenilis ardor impetu primo furit;
languescit idem facile. Sen. *Octav.* 189.

Illa juventa est gravior, quae similis senectae. AUSON. *sept. sapient. sent.* 6, 7. — *Cf.* **Adolescens.**

Labor.

Virtutis spolia quum videt, gaudet Labor. P. SYRI *sent.* 496.

Nil sine magno
vita labore dedit mortalibus. HORAT. *sat.* 1, 9, 59 *sq.*

Alternis facilis labor. VIRG. *georg.* 1, 79.

Labor omnia vincit improbus. VIRG. *georg.* 1, 145 *sq.*

Dum vires animique sinunt, tolerate labores:
jam veniet tacito curva senecta pede. OVID. *art. am.* 2, 669 *sq.*

Non sentitur sedulitate labor. OVID. *fast.* 4, 434.

Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis:
Immodicus contra carpit utrumque labor. OVID. *ex Pont.* 1, 4, 21 *sq.*

Jucundi acti labores. CIC. *de fin.* 2, 32, 105.

Suavis laborum est praeteritorum memoria. CIC. *de fin.* 2, 32, 105.

Ignavia corpus hebetat, labor firmat; illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. CELS. *de medic.* 1, 1. §. 3.

Interdum continuatus labor firmiores facit: saepe quod corroboraverat, desidia consumpsit. SEN. *controv.* 1, 8. §. 6.

Non est vir fortis ac strenuus qui laborem fugit

nisi crescit illi animus ipsa rerum difficultate. SEN. *epist.* 22, 6 (7).

Generosos animos labor nutrit. SEN. *epist.* 31, 4.

Reluctante natura irritus labor est. SEN. *de tranqu.* 6, 2.

Lacrimae.

Cito exarescit lacrima, praesertim in alienis malis. CIC. *de part. or.* 17, 57.

Flendo diffundimus iram. OVID. *her.* 8, 61.

Est quaedam flere voluptas:
Expletur lacrimis egeriturque dolor. OVID. *trist.* 4, 3, 37 *sq.*

Interdum lacrimae pondera vocis habent. OVID. *ex Pont.* 3, 1, 158; *cf.* OVID. *her.* 3, 4.

Et lacrimae prosunt. lacrimis adamanta movebis. OVID. *art. am.* 1, 659.

Numquam lacrimae supprimuntur imperio, immo etiam irritantur. Nulla flendi major est causa quam flere non posse. SEN. *excerpt. controv.* 4, 1. §. 1.

Lacrimas lacrimis miscere juvat. SEN. *Agam.* 664.

Fletus aerumnas levat. SEN. *Troad.* 765.

Crudelis lacrimis pascitur, non frangitur. P. SYRI *sent.* 100.

Lamentatio.

Conqueri fortunam adversam, non lamentari decet. PACUV. *trag. fr.* 268.

Lectio.

Lectio certa prodest, varia delectat. SEN. *epist.* 45, 1.

Alit lectio ingenium et studio fatigatum, non sine studio tamen, reficit. SEN. *epist.* 84, 1.

Lectio auctorum multorum et omnis generis voluminum habet aliquid vagum et instabile. SEN. *epist.* 2, 1.

Laetitia.

Praesumpta laetitia sollicitudini locum non relinquit. PLIN. *epist.* 8, 11, 1.

Laetitia juvenem, frons decet tristis senem. SEN. *Hippol.* 453.

Dum fata sinunt
vivite laeti. properat cursu
vita citato, volucrique die
rota praecipitis vertitur anni. SEN. *Herc. fur.* 177 *sqq.* — *Cf.* **Gaudium.**

Lascivia.

Lascivia et laus numquam habent concordiam. P. SYRI *sent.* 249.

Laus.

Laus nova nisi oritur, etiam vetus amittitur. P. SYRI *sent.* 250.

Solet sequi laus, quum viam fecit labor. S. SYRI *sent.* 472.

Quam magnum est non laudari et esse laudabilem! P. SYRI *sent.* 396.

Vera laus deberi virtuti uni putatur. CIC. *de orat.* 2, 84, 342.

Omnes mortales sese laudarier optant. ENN. *annal.* 551.

Principibus placuisse viris non ultima laus est. Ho-
RAT. *epist.* 1, 17, 35.

Laus vera et humili saepe contingit viro:
non nisi potenti falsa. SEN. *Thyest.* 211 *sq.*

Qui genus jactat suum,
aliena laudat. SEN. *Herc. fur.* 340 *sq.*
Qui favoris gloriam veri petit,
animo magis quam voce laudari volet. SEN. *Thyest.* 219 *sq.*

Quum falso laudas, tunc et amice noces. AUSON. *sept. sapient. sent.* 7, 6. — *Cf.* **Gloria.**

Lex.

Legem nocens veretur, fortunam innocens. P. SYRI *sent.* 251.

Mihi non videtur quod sit factum legibus
rescindi posse: et turpe inceptu est. TERENT. *Phorm.* 2, 4, 15 (455) *sq.*

Legibus idcirco omnes servimus, ut liberi esse possimus. CIC. *pro Cluent.* 53, 146.

Ut corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege suis partibus, ut nervis et sanguine et membris, uti non potest. CIC. *pro Cluent.* 53, 146.

Silent leges inter arma. CIC. *pro Mil.* 4, 10.

Unam tollendo legem ceteras infirmaveris. LIV. *hist.* 34, 3, 4.

Nulla lex satis commoda omnibus est. LIV. *hist.* 34, 3, 5.

Leges a scelere deterrent; praecepta in officium adhortantur. SEN. *epist*. 94, 37.

Legem brevem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur. SEN. *epist*. 94, 38.

Leges bonae ex malis moribus procreantur. MACROB. *sat*. 3, 17, 10 (2, 13, 10).

Ut aranearum telae infirmiora animalia retinent, valentiora transmittunt, ita legibus humiles et pauperes constringuntur, divites et praepotentes non alligantur. VAL. MAX. *fact. et dict. mem.* 7, 2. *Ext.* 14.

Quid leges sine moribus
vanae proficiunt? HORAT. *carm*. 3, 24, 35 *sq*.

Inde datae leges, ne firmior omnia posset. OVID. *fast*. 3, 279.

Quid faciant leges, ubi sola pecunia regnat,
aut ubi paupertas vincere nulla potest? PETRON. *satyr*. 14. §. 1. *v*. 1 *sq*.

Pereunt discrimine nullo
amissae leges: sed pars vilissima rerum
certamen movistis, opes. LUCAN. *Phars*. 3, 119 *sqq*.

Pareto legi, quisque legem sanxeris. AUSON. *sept. sapient. sent*. 2, 5.

Liber.

Liber is est existimandus, qui nulli turpitudini servit. CORNIF. *rhet*. 4, 17, 24.

Liberalis.

Repente liberalis stultis gratus est,

verum peritis irritos tendit dolos. PHAEDR. *fab.* 1, 25, 1 *sq.*

Libertas.

Ea libertas est, quae pectus purum et firmum gestitat.

ENN. *trag. fr.* 340 (259).

Nimia libertas et populis et privatis in nimiam servitutem cadit. CIC. *de rep.* 1, 44, 68.

Fallitur egregio quisquis sub principe credit
servitium. numquam libertas gratior exstat
quam sub rege pio. CLAUDIAN. *de cons. Stilich.* 3, 113 *sqq.*

Libido.

Libido cunctos etiam sub vultu domat. P. SYRI *sent.* 256.

Libido, non judicium est quod levitas sapit. P. SYRI *sent.* 257.

Libidinis initia continebit, qui exitum cogitabit. SEN. *de mor. no.* 66.

Vincit sanctos dira libido. SEN. *Hippol.* 980.

Licentia.

Deteriores omnes sumus licentia. TERENT. *Heaut. tim.* 3, 1, 74 (483).

Licita.

Cui plus licet quam par est, plus vult quam licet. P. SYRI *sent.* 104.

Quod licet ingratum est. quod non licet acrius urit. OVID. *amor.* 2, 19, 3.

Id facere laus est, quod decet, non, quod licet. SEN. *Octav*. 454.

Quanto plus liceat, tam libeat minus. AUSON. *sept. sapient. sent*. 3, 1.

Lingua.

Licentiam des linguae, quum verum petas. P. SYRI *sent*. 258.

Literae.

Literarum radices amarae sunt, fructus jucundiores. CATO (?) *ap*. DIOM. p. 289 *P*.

Literarum studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium praebent. CIC. *pro Arch. poët*. 7, 16.

Otium sine literis mors est et hominis vivi sepultura. SEN. *epist*. 82, 3.

Locus dignitatis.

Homo locum ornat, non hominem locus. TRAGIC. *inc. fab. fr*. 35.

Loqui recte.

Utilius homini nihil est quam recte loqui. PHAEDR. *fab*. 4, 13, 1.

Lucrum.

Necesse est facere sumptum qui quaerit lucrum. PLAUT. *Asin*. 1, 3, 65 (218).

Non ego omnino lucrum omne esse utile homini existumo. PLAUT. *Capt*. 2, 2, 73 (325).

Est . . . ubi profecto damnum praestet facere quam lucrum.
PLAUT. *Capt.* 2, 2, 75 (327).

Pecuniam in loco neglegere maxumum interdum est lucrum.
TERENT. *Adelph.* 2, 2, 8 (216).

Damnum appellandum est cum mala fama lucrum.
P. SYRI *sent.* 113.

Ludus.

Non omnis aetas ludo convenit. PLAUT. *Bacch.* 1, 2, 21 (129).

Mores se inter ludendum simplicius detegunt. QUINTIL. *instit. orat.* 1, 3, 12.

Ludus animo debet aliquando dari,
ad cogitandum melior ut redeat tibi. PHAEDR. *fab.* 3, 14, 12 *sq.*

Luxuria.

Nihil tam mortiferum ingeniis, quam luxuria est.
SEN. *controv.* 1. *praef.* §. 7.

Luxuries praedulce malum, quae dedita semper
corporis arbitriis hebetat caligine sensus
membraque Circaeis effeminat acrius herbis. CLAUDIAN. *de laud. Stilich.* 2, 132 *sqq.*

Saevior armis luxuria. JUVEN. *sat.* 6, 292.

Magnanimitas.

Decet magnanimitas quemlibet mortalem, etiam illum, infra quem nihil est. SEN. *de clem.* 1, 5, 3.

Magnus vir.

Nemo vir magnus sine aliquo afflatu divino umquam fuit. CIC. *de nat. deor.* 2, 66, 167.

Potest ex casa vir magnus exire. SEN. *epist.* 66, 2 (3).

Magnorum virorum non minus praesentia est utilis quam memoria. SEN. *epist.* 102, 30.

Male dicere.

Mali sunt homines, qui bonis dicunt male. PLAUT. *Bacch.* 1, 2, 10 (118).

Multi quum aliis male dicunt, sibi ipsis convicia faciunt. SEN. *de mor. no.* 115.

Maledictum.

Maledictum interpretando facias acrius. P. SYRI *sent.* 266.

Malevolus.

Malevolus animus abditos dentes habet. P. SYRI *sent.* 274.

Malevolus semper sua natura vescitur. P. SYRI *sent.* 275.

Est miserorum, ut malevolentes sint atque invideant bonis.

PLAUT. *Capt.* 3, 4, 51 (583).

Malignus. Malignitas.

Malignos fieri maxime ingrati docent. P. SYRI *sent.* 276.

Nulla tam modesta felicitas est, quae malignitatis dentes vitare possit. VAL. MAX. *fact. et dict. memor.* 4, 7. *Ext.* 2.

Malitia.

Malitia unius cito fit maledictum omnium. P. SYRI *sent.* 277.

Malitia ut pejor veniat, se simulat bonam. P. SYRI *sent.* 278.

Malum.

Pati necesse est multa mortalem mala. NAEV. *com. fr.* 106.

Malum alienum ne feceris tuum gaudium. P. SYRI *sent.* 281.

Ex malis multis malum quod minumum est, id minumum est malum.
PLAUT. *Stich.* 1, 2, 63 (120).

Fortiter malum qui patitur, idem post potitur bonum.
PLAUT. *Asin.* 2, 2, 58 (324).

In re mala animo si bono utare, adjuvat. PLAUT. *Capt.* 2, 1, 8 (202).

Aliud ex alio malum. TERENT. *Eun.* 5, 5, 17 (987).

Non solum ex malis eligere minima oportet, sed etiam excerpere ex his ipsis, si quid inest boni. CIC. *de offic.* 3, 1, 3.

Nil adeo fortuna gravis miserabile facit,
ut minuant nulla gaudia parte malum. OVID. *ex Pont.* 4, 4, 5 *sq.*

Malum nullum est sine aliquo bono. PLIN. *nat. hist.* 27, 3 (2), 8.

Malus.

Mali sunt homines, qui bonis dicunt male. PLAUT. *Bacch.* 1, 2, 10 (118).

Malo bene facere tantundem est periculum, quantum bono male facere. PLAUT. *Poen.* 3, 3, 20 (502) *sq.*

Malus est vocandus, qui sua causa est bonus. P. SYRI *sent.* 283.

Malus ubi bonum se simulat, tunc est pessimus. P. SYRI *sent.* 284.

Ubi malos praemia sequuntur, haud facile quisquam gratuito bonus est. SALLUST. *hist. fragm.* 1, 48 (56), 9.

Malus malo nocet. SEN. *epist.* 109, 4.

Nemo malus felix. JUVEN. *sat.* 4, 8.

Nullum ad nocendum tempus angustum est malis. SEN. *Med.* 292.

Mater.

Matres omnes filiis
in peccato adjutrices, auxilio in paterna injuria
solent esse. TERENT. *Heaut. tim.* 5, 2, 38 (991) *sq.*

Matris injurias ferre nos pietas jubet. TERENT. *Hec.* 3, 1, 21 (301).

Matrimonium.

Matrimonium tum perpetuum est, si mutua voluntate jungitur. QUINTIL. *decl.* 376. p. 381 *ed. Bip.*

Matrona.

Casta ad virum matrona parendo imperat. P. SYRI *sent.* 83.

Medicina.

Mala est medicina, ubi aliquid naturae perit. P. Syri *sent.* 265.

Medicina calamitatis est aequanimitas. P. Syri *sent.* 286.

Pro medicina est dolor dolorem qui necat. P. Syri *sent.* 385.

Eripit interdum, modo dat medicina salutem,
quaeque juvet, monstrat, quaeque sit herba nocens.
Ovid. *trist.* 2, 269 *sq.*

Medicina vinci fata non possunt. Quintil. *decl.* 268 *extr.*

Ubi turpis est medicina, sanari piget. Sen. *Oedip.* 517.

Medicus.

Medici plus interdum quiete quam movendo atque agendo proficiunt. Liv. *hist.* 22, 18, 9.

Non est in medico semper, relevetur ut aeger.
Interdum docta plus valet arte malum. Ovid. *ex Pont.* 1, 3, 17 *sq.*

Crudelem medicum intemperans aeger facit. P. Syri *sent.* 98.

Mediocritas.

Auream quisquis mediocritatem
diligit, tutus caret obsoleti
sordibus tecti, caret invidenda
sobrius aula. Horat. *carm.* 2, 10, 5 *sqq.*

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,

quos ultra citraque nequit consistere rectum. HORAT. *sat.* 1, 1, 106 *sq.*

Quidquid excessit modum
pendet instabili loco. SEN. *Oedip.* 909 *sq.*

Quisquis medium defugit iter,
stabili numquam tramite curret. SEN. *Herc. Oet.* 675 *sq.*

Felix, mediae quisquis turbae
sorte quietus,
aura stringit litora tuta. SEN. *Agam.* 103 *sqq.*

Memoria.

Prima languescit senum
memoria, longo lassa sublabens situ. SEN. *Oedip.* 817 *sq.*

Saepe jam spatio obrutam
levis exoletam memoriam revocat nota. SEN. *Oedip.* 820 *sq.*

Immortalis est ingenii memoria. SEN. *de consol. ad Polyb.* 18 (37), 2.

Mendacium.

Verum est, quod pro salute fit mendacium. P. SYRI *sent.* 493.

Mihi scelus videtur, me parenti proloqui mendacium. PLAUT. *Merc.* 1, 2, 96 (209).

Nullum tam impudens mendacium est, ut teste careat. PLIN. *nat. hist.* 8, 22 (34), 82.

Tenue est mendacium: perlucet, si diligenter inspexeris. SEN. *epist.* 79, 16 (18).

Mendax.

Mendacem memorem esse oportet. QUINTIL. *instit. orat.* 4, 2, 91. APUL. *de mag.* 69.

Necessitas egentem mendacem facit. P. SYRI *sent.* 651.

Quicumque turpi fraude semel innotuit,
etiam si verum dicit, amittit fidem. PHAEDR. *fab.* 1, 10, 1 *sq.*

Solent mendaces luere poenas malefici. PHAEDR. *fab.* 1, 19, 1.

Meretrix.

Meretrix tantisper blanditur, dum illud quod rapiat videt.
PLAUT. *Men.* 1, 3, 11 (193).

Meretricem ego item esse reor, mare ut est:
numquam abundat. PLAUT. *Truc.* 2, 7, 16 (554) *sq.*

Meritum.

Id agas, tuo te merito ne quis oderit. P. SYRI *sent.* 206.

Merita vicerunt malos. SEN. *Herc. Oet.* 575.

Nulli meritis obsistunt casus. CLAUDIAN. *de* IIII. *cons. Honor.* 409.

Meritis offertur inemptus
pura mente favor. CLAUDIAN. *de* VI. *cons. Honor.* 607 *sq.*

Merx.

Invendibili merci oportet ultro emptorem adducere:

proba merx facile emptorem reperit, tametsi in abstruso sita est.
PLAUT. *Poen.* 1, 2, 128 (210) *sq.*

Metus.

Metus quum venit, rarum habet somnus locum. P. SYRI *sent.* 287.

Metus improbos compescit, non clementia. P. SYRI *sent.* 288.

Metus interpres semper in deteriora inclinatus. LIV. *hist.* 27, 44, 10.

Infidelis recti magister est metus. PLIN. *paneg.* 45, 6.

Quos cogit metus
laudare, eosdem reddit inimicos metus. SEN. *Thyest.* 207 *sq.* — *Cf.* **Timor**.

Miles.

Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur. SEN. *epist.* 107, 9.

Miles bellum optat, si gloriam. SEN. *de benef.* 6, 38, 2 (3).

Miser. Miseria.

Et deest et superat miseris cogitatio. P. SYRI *sent.* 137.

In miseri vita vita est contumelia. P. SYRI *sent.* 223.

Miser dici bonus vir, esse non potest. P. SYRI *sent.* 639.

Miseri est nescire sine periclo vivere. P. SYRI *sent.* 641.

Miserrimum est arbitrio alterius vivere. P. SYRI *sent*. 642.

Miserum te judico, quod numquam fueris miser. P. SYRI *sent*. 643.

Nescio quomodo miserum esse inter miserias juvat. SEN. *controv*. 5 (10), 30. p. 300, 14 *ed. Burs*.

Miser esse, qui virtutem habet, non potest. SEN. *epist*. 92, 13 (14).

Ego esse miserum credo, cui placet nemo. MARTIAL. *epigr*. 5, 28, 9.

Rebus in angustis facile est contemnere vitam:
fortiter ille facit, qui miser esse potest. MARTIAL. *epigr*. 11, 56, 15 *sq*.

Quod nimis miseri volunt,
hoc facile credunt. SEN. *Herc. fur*. 313 *sq*.

Quemcumque miserum videris, hominem scias. SEN. *Herc. fur*. 463.

Quemcumque fortem videris, miserum neges. SEN. *Herc. fur*. 464.

Numquam est ille miser, cui facile est mori. SEN. *Herc. Oet*. 111.

Quicumque misero forte dissuadet mori,
crudelis ille est. SEN. *Herc. Oet*. 929 *sq*.

Miseris colendos maxime superos putem. SEN. *Agam*. 694.

Proprium hoc miseros sequitur vitium,
numquam rebus credere laetis. SEN. *Thyest*. 938 *sq*.

Miserias properant suas
audire miseri. SEN. *Herc. Oet*. 754 *sq*.

Leve est miserias ferre, perferre est grave. SEN. *Thyest.* 307.

Ignis aurum probat, miseria fortes viros. SEN. *de provid.* 5, 8 (9).

Optime miserias ferunt, qui abscondunt. CURT. *de gest. Alex.* 5, 5 (18), 11.

Hujus demum miseret, cujus nobilitas miserias nobilitat. ATT. *trag. fr.* 621 *sq.*

Misericors. Misericordia.

Homo, qui in homine calamitoso est misericors, meminit sui. P. SYRI *sent.* 517.

Misericors civis patriae est consolatio. P. SYRI *sent.* 640.

Bona comparat praesidia misericordia. P. SYRI *sent.* 66.

Mala causa est quae requirit misericordiam. P. SYRI *sent.* 263.

Moderatia.

Magni pectoris est inter secunda moderatio. SEN. *suasor.* 1. §. 3. — *Cf.* **Modus, Temperantia.**

Modestia.

Prima commendatio proficiscitur a modestia cum pietate in parentes, in suos benevolentia. CIC. *de offic.* 2, 13, 46.

Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit. P. SYRI *sent.* 242.

Quod vult habet, qui velle quod satis est potest. P. SYRI *sent.* 443.

Tu quod sis esse velis nihilque malis. MARTIAL. *epigr.* 10, 47, 12.

Modus.

Modus omnibus in rebus optumum habitu est;
Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus ex se.
PLAUT. *Poen.* 1, 2, 29 (109) *sq.*

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
quos ultra citraque nequit consistere rectum. HORAT. *sat.* 1, 1, 106 *sq.*

Modum magnitudini facere debes, quem fortuna non facit. SEN. *suasor.* 1. §. 3.

Arduus rerum omnium modus. TACIT. *hist.* 1, 85. — *Cf.* **Mediocritas.**

Monitio, *vid.* **Admonitio.**

Mora.

Deliberare utilia mora tutissima est. P. SYRI *sent.* 117.

Rei nulli prodest mora nisi iracundiae. P. SYRI *sent.* 447.

Etiam celeritas in desiderio mora est. P. SYRI *sent.* 139.

Habent parvae commoda magna morae. OVID. *fast.* 3, 394.

Mora semper amantes
incitat, exiguum si modo tempus habet. OVID. *art. am.* 3, 473 *sq.*

Longa mora est nobis omnis, quae gaudia differt. Ovid. *her.* 19, 3.

Quod ratio non quit, saepe sanavit mora. Sen. *Agam.* 130.

Omnis nimium longa properanti mora est. Sen. *Agam.* 426.

Odit verus amor nec patitur moras. Sen. *Herc. fur.* 588.

Veritas odit moras. Sen. *Oedip.* 850.

Tolle moras: semper nocuit differre paratis. Lucan. *Phars.* 1, 281.

Mora saepe malorum
dat causas. Manil. *astron.* 4, 75 *sq.*

Morbus.

Prodest morbum suum nosse et vires ejus antequam spatientur opprimere. Sen. *de ira* 3, 10, 3 (4).

Mores.

Pulchrum ornatum turpes mores pejus coeno collinunt; lepidi mores turpem ornatum facile factis comprobant. Plaut. *Poen.* 1, 2, 93 (175) *sq.*

Quam multa, justa injusta, fiunt moribus! Terent. *Heaut. tim.* 4, 7, 11 (839).

Amici mores noveris, non oderis. P. Syri *sent.* 20.

Pectoribus mores tot sunt, quot in orbe figurae.
Qui sapit, innumeris moribus aptus erit. Ovid. *art. am.* 1, 759 *sq.*

Indicium mores nobilitatis habent. Ovid. *ex Pont.* 3, 2, 104.

Sera numquam est ad bonos mores via:
quem poenitet peccasse, paene est innocens. SEN. *Agam.* 242 *sq.*

Mors. Mori.

Post mortem in morte nihil est quod metuam mali. PLAUT. *Capt.* 3, 5, 83 (741).

Bona mors est omnis, vitae quae exstinguit mala. P. SYRI *sent.* 68.

Mors infanti felix, juveni acerba, sera nimis seni. P. SYRI *sent.* 526.

Dum vita grata est, mortis conditio optima est. P. SYRI *sent.* 130.

Mortem timere quam mori crudelius est. P. SYRI *sent.* 297.

Mortem ubi contemnas, omnes viceris metus. P. SYRI *sent.* 298.

Quam miserum est mortem cupere nec posse emori! P. SYRI *sent.* 403.

Mori necesse est, sed non quotiens volueris. P. SYRI *sent.* 296.

Lex universi est, quae jubet nasci et mori. P. SYRI *sent.* 255.

Heu quam est timendus, qui mori tutum putat! P. SYRI *sent.* 189.

Bis est mori alterius arbitrio mori. P. SYRI *sent.* 60.

Mors naturae finis est, non poena. CIC. *pro Mil.* 37, 101.

O fortunata mors, quae naturae debita pro patria est potissimum reddita! CIC. *orat. Phil.* 14, 12, 31.

Praestat honesta mors turpi vitae. CORN. NEP. *Chabr.* 4, 3.

Honesta mors turpi vita potior. TACIT. *Agr.* 33.

Dulce et decorum est pro patria mori:
mors et fugacem persequitur virum,
nec parcit imbellis juventae
poplitibus timidoque tergo. HORAT. *carm.* 3, 2, 13 *sqq.*

Mors ultima linea rerum est. HORAT. *epist.* 1, 16, 79.

Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
regumque turres. HORAT. *carm.* 1, 4, 13 *sq.*

Longius aut propius mors sua quemque manet. PROPERT. *carm.* 2 (3), 28, 58.

Sunt aliquid manes: letum non omnia finit. PROPERT. *carm.* 4 (5), 7, 1.

Mors ... minus poenae quam mora mortis habet. OVID. *her.* 10, 82.

Aequat omnes cinis. SEN. *epist.* 91, 16; *cf.* PLAUT. *Trin.* 4, 2, 92 (493) *sq.*: aequo mendicus atque ille opulentissimus censetur censu apud Acheruntem mortuus.

Omnia mors aequat. CLAUDIAN. *de rapt. Proserp.* 2, 302.

Mors dolorum omnium exsolutio est et finis. SEN. *de consol. ad Marc.* 19, 4 (5).

Bene mori est effugere male vivendi periculum. SEN. *epist.* 70, 5 (6).

Effugit mortem, quisquis contempserit: timidissimum quemque consequitur. CURT. *de gest. Alex.* 4, 14 (55), 25.

Mors certe finis est. QUINTIL. *decl.* 12, 14.

Ubique mors est. optime hoc cavit deus.
Eripere vitam nemo non homini potest,
at nemo mortem: mille ad hanc aditus patent. SEN. *Phoeniss.* 151 *sqq.*

Optanda mors est sine metu mortis mori. SEN. *Troad.* 869.

Mors innocentem sola fortunae eripit. SEN. *Oedip.* 934.

Mori volenti deesse mors numquam potest. SEN. *Hippol.* 878.

Mors optima est perire lacrimandum suis. SEN. *Hippol.* 881.

O quam miserum est nescire mori! SEN. *Agam.* 610.

Quam varia leti genera mortalem trahunt
carpuntque turbam, pontus et ferrum et doli! SEN. *Hippol.* 475 *sq.*

Mille modis leti miseros mors una fatigat. STAT. *Theb.* 9, 280.

Mors sola fatetur,
quantula sint hominum corpuscula. JUVEN. *sat.* 10, 172 *sq.*

Mortem optare malum, timere pejus. AUSON. *sept. sapient. sent.* 4, 3.

Vive memor mortis, uti sis memor et salutis. AUSON. *sept. sapient. sent.* 6, 2.

Mulier.

Mulier recte olet, ubi nil olet. PLAUT. *Most.* 1, 3, 116 (273).

Pulchra mulier nuda erit, quam purpurata, pulchrior.
PLAUT. *Most.* 1, 3, 131 (289).

Virgo atque mulier nulla erit, quin sit mala,
quae praeter sapiet quam placet parentibus. PLAUT. *Pers.* 3, 1, 37 (365) *sq.*

Virgo atque mulier nulla erit, quin sit mala,
quae reticet, si quid fieri pervorse videt. PLAUT. *Pers.* 3, 1, 39 (367) *sq.*

Multa mulierum sunt vitia: sed hoc e multis maximum est,
quum sibi nimis placent minusque operant uti placeant viris.
PLAUT. *Poen.* 5, 4, 33 (1061) *sq.*

Quid pejus est muliere aut audacius? PLAUT. *Mil. glor.* 2, 3, 36 (307).

Avarum est mulierum genus. TRAGIC. LAT. *inc. fab.* 143. p. 218 *ed. Ribb.*

Novi ingenium mulierum:
nolunt uti velis, ubi nolis cupiunt ultro. TERENT. *Eun.* 4, 7, 42 (812) *sq.*

Aut amat aut odit mulier, nihil est tertium. P. SYRI *sent.* 42.

Mulier quum sola cogitat, male cogitat. P. SYRI *sent.* 300.

Mulier quae multis nubit, multis non placet. P. SYRI *sent.* 301.

Malo in consilio feminae vincunt viros. P. SYRI *sent.* 280.

Varium et mutabile semper femina. VIRG. *Aen.* 4, 569.

Nihil est tam mobile quam feminarum voluntas, nihil tam vagum. SEN. *de remed. fort.* 16. §. 4.

Mobilior ventis o femina! CALPURN. *ecl.* 3, 10.

Ah crudele genus nec fidum femina nomen! TIBULL. *carm.* 3, 4, 61.

Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil. JUVEN. *sat.* 6, 457.

Intolerabilius nihil est, quam femina dives. JUVEN. *sat.* 6, 460.

Mulier saevissima tunc est,
quum stimulos odio pudor admovet. JUVEN. *sat.* 10, 328 *sq.*

Quae dos matronae pulcherrima? Vita pudica. AUSON. *sept. sapient. sent.* 1, 4.

Quae casta est? de qua mentiri fama veretur. AUSON. *sept. sapient. sent.* 1, 5.

Multitudo.

Ea natura multitudinis est: aut servit humiliter aut superbe dominatur. LIV. *hist.* 24, 25, 8.

Mutatio consilii.

Optimus est portus poenitenti mutatio consilii. CIC. *Phil.* 12, 3, 7.

Nemo doctus umquam mutationem consilii inconstantiam dixit esse. CIC. *epist. ad Attic.* 16, 7, 3.

Mutatio rerum.

Ut sunt humana, nihil est perpetuum datum. PLAUT. *Cist.* 1, 3, 46 (194).

O fortuna, ut numquam perpetuo es data! TERENT. *Hec.* 3, 3, 46 (406).

O nulla longi temporis felicitas! SEN. *Agam.* 928.

Mutus.

Quum in domum alienam veneris et mutus et surdus esto. OMULUS *ap.* CAPITOL. *Antonin. Pii* 11.

Nasci.

Non nasci bis posse datur. SIL. ITAL. *Punic.* 15, 64.

Natura.

Naturam expelles furca, tamen usque recurret. HORAT. *epist.* 1, 10, 24.

Naturae sequitur semina quisque suae. PROPERT. *carm.* 3 (4), 9, 20.

In alio sua quemque natura delectat. PLIN. *paneg.* 45, 1.

Malae naturae numquam doctore indigent. P. SYRI *sent.* 264.

Multis simulationum involucris tegitur et quasi velis quibusdam obtenditur unius cujusque natura: frons, oculi, vultus persaepe mentiuntur, oratio vero saepissime. CIC. *epist. ad Quint. fratr.* 1, 1, 5. §. 15.

Facilius natura intelligitur quam enarratur. SEN. *epist.* 121, 10 (11).

Necessitas.

Necessitas dat legem, non ipsa accipit. P. Syri *sent.* 306.

Necessitas quod poscit, nisi das, eripit. P. Syri *sent.* 308.

Necessitatem ferre, non flere addecet. P. Syri *sent.* 309.

Necessitati quodlibet telum utile est. P. Syri *sent.* 310.

Necessitati sapiens nihil umquam negat. P. Syri *sent.* 311.

Necessitati est parendum. Cic. *de offic.* 2, 21, 74.

Tempori cedere, id est necessitati parere, semper sapientis est habitum. Cic. *epist. ad famil.* 4, 9, 2.

Ultimum ac maximum telum est necessitas. Liv. *hist.* 4, 28, 5.

Necessitas plus posse quam pietas solet. Sen. *Troad.* 581 (585).

Cupias quodcumque necesse est. Lucan. *Phars.* 4, 487.

Nefas.

Audax omnia perpeti
gens humana ruit per vetitum nefas. Horat. *carm.* 1, 3, 25 *sq.*

Nullum caruit exemplo nefas. Sen. *Hippol.* 554.

Negare.

Minus decipitur, cui negatur celeriter. P. Syri *sent.* 290.

Negandi causa avarum numquam deficit. P. Syri *sent.* 314.

Negat sibi ipse, qui quod difficile est petit. P. Syri *sent.* 315.

Qui timide rogat,
docet negare. Sen. *Hippol.* 593 *sq.*

Negotium.

Magna negotia magnis adjutoribus egent. Vell. Pat. *hist. Rom.* 2, 127, 2.

Nequitia.

Nequitia poena maxima ipsamet sui est. P. Syri *sent.* 318.

Nimium.

Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus ex se.
Plaut. *Poen.* 1, 2, 30 (110).

Nil nimium. Satis est: ne sit et hoc nimium. Auson. *sept. sapient. sent.* 7, 7.

Nobilis. Nobilitas.

Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. nemo in nostram gloriam vixit nec quod ante nos fùit nostrum est: animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione supra fortunam licet surgere. Sen. *epist.* 44. §. 4 (5) *sq.*

Ingenia melius recta se in laudes ferunt,
si nobilem animum vegeta libertas alit. Sen. *Hippol.* 459 *sq.*

Pulchrius multo parari, quam creari nobilem. AUSON. *sept. sapient. sent.* 5, 5.

Tota licet veteres exornent undique cerae
atria, nobilitas sola est atque unica virtus. JUVEN. *sat.* 8, 19 *sq.*

Nocens.

Illo nocens se damnat, quo peccat die. P. SYRI *sent.* 209

Nocens precatur, innocens irascitur. P. SYRI *sent.* 330

Nocentem qui defendit, crimen sibi parit. P. SYRI *sent.* 331.

Haud est nocens, quicumque non sponte est nocens. *Herc. Oet.* 886.

Nocens videri, qui mori quaerit, cupit. SEN. *Herc. Oet.* 889.

Nemo fit fato nocens. SEN. *Oedip.* 1019.

Se judice nemo nocens absolvitur. MACROB. *somn. Scip.* 1, 10, 12.

Nocere.

Nocere posse et nolle laus amplissima est. P. SYRI *sent.* 332.

Nullum ad nocendum tempus angustum est malis. SEN. *Med.* 292.

Nefas nocere vel malo fratri puta. SEN. *Thyest.* 219.

Nomen.

Vel optima nomina non appellando fiunt mala. ALPHIUS *ap.* COLUM. *de re rust.* 1, 7, 2.

Noverca.

Nulli non magno constitit etiam bona noverca. Sen. *de consol. ad Helv.* 2, 4.

Nuptiae.

Habent locum maledicti crebrae nuptiae. P. Syri *sent.* 603.

Mulier quae multis nubit, multis non placet. P. Syri *sent.* 301.

Objurgatio.

Crudelis est in re adversa objurgatio. P. Syri *sent.* 99.

Damnare est objurgare, quum auxilio est opus. P. Syri *sent.* 111.

Objurgari in calamitate gravius est quam calamitas. P. Syri *sent.* 534.

Objurgatio contumelia careat. Cic. *de amicit.* 24, 89.

Quum vere objurgas, sic inimice juvas. Auson. *sept. sapient. sent.* 7, 5.

Objurgationi semper aliquid blandi admisce. facilius enim penetrant verba, quae molli vadunt via quam quae aspera. Sen. *de mor. no.* 129.

Oblivio. Oblivisci.

Injuriarum remedium est oblivio. P. Syri *sent.* 222.

Etiam oblivisci qui sis, interdum expedit. P. Syri *sent.* 142.

Obsequium.

Obsequium amicos, veritas odium parit. Terent. *Andr.* 1, 1, 41 (68).

Occasio.

Occasio aegre offertur, facile amittitur. P. Syri *sent*. 346.

Occasio receptus difficiles habet. P. Syri *sent*. 347.

Deliberando saepe perit occasio. P. Syri *sent*. 115.

Omnia honesta opera voluntas inchoat, occasio perficit. Sen. *excerpt. controv*. 4, 7. §. 3.

Virtus est, ubi occasio admonet, dispicere. Plaut. *Pers*. 2, 3, 16 (268).

Fronte capillata est, post est occasio calva. Dion. Caton. *dist*. 2, 26.

Si in occasionis momento, cujus praetervolat opportunitas, cunctatus paulum fueris, nequiquam mox omissam quaeras. Liv. *hist*. 25, 38, 18.

Oculi.

Caeci sunt oculi, quum animus alias res agit. P. Syri *sent*. 81.

Nil peccent oculi, si oculis animus imperet. P. Syri *sent*. 324.

Odium. Odisse.

Odia multorum sub vultu, multorum sub osculo latent. P. Syri *sent*. 678.

Haec odia altissime sedent, quum aliquis iis, quos contempsit, irascitur. Quintil. *decl*. 305. *p*. 180 *ed*. *Bip*.

Id agas, tuo te merito ne quis oderit. P. Syri *sent*. 206.

Felix jacet, quicumque quos odit premit. SEN. *Herc. Oet.* 350.

Officium.

Vigilare addecet qui sua volt temperi conficere officia. PLAUT. *Rud.* 4, 2, 16 (921).

Omnes sapientes
suum officium aequom est colere et facere. PLAUT. *Stich.* 1, 1, 39 *sq.*

Nihili est suum qui officium facere est immemor nisi admonitus est.
PLAUT. *Pseud.* 4, 7, 3 (1104).

Onus.

Leve fit quod bene fertur onus. OVID. *amor.* 1, 2, 10.

Opinio.

Opinionis commenta delet dies, naturae judicia confirmat. CIC. *de nat. deor.* 2, 2, 5.

Nihil opinionis causa, omnia conscientiae faciam. SEN. *de vit. beat.* 20, 3 (4).

Optare.

Stulte, quid haec frustra votis puerilibus optas,
quae non ulla tibi fertque feretque dies? OVID. *trist.* 3, 8, 11 *sq.*

Oratio.

O flexanima atque omnium regina rerum oratio! PACUV. *trag. fr.* 177 *ed. Ribb.*

Qualis homo ipse est, talis ejus est oratio. CIC. *Tusc. disput.* 5, 16, 47.

Qualis vir, talis oratio. SEN. *de mor.* no. 73.

Frons, oculi, vultus persaepe mentiuntur, oratio vero saepissime. CIC. *epist. ad Quint. fratr.* 1, 1, 5. §. 15.

Oratio cultus animi est. SEN. *epist.* 115, 2.

Imago animi sermo est. SEN. *de mor.* no. 72.

Ornatus pulcher, turpis.

Pulcrum ornatum turpes mores pejus coeno collinunt;
lepidi mores turpem ornatum facile factis comprobant.
PLAUT. *Poen.* 1, 2, 93 (175) *sq.*

Otium.

Otio qui nescit uti, plus negoti habet,
quam [negotioso] cui est negotium in negotio. ENN. *trag. fr.* 252 *sq.* (*ed. Vahlen*).

Otioso in otio animus nescit quid velit. ENN. *trag. fr.* 256 (187).

Otium et reges prius et beatas
perdidit urbes. CATULL. *carm.* 51, 15 *sq.*

Otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis:
immodicus contra carpit utrumque labor. OVID. *ex Pont.* 1, 4, 21 *sq.*

Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus,
ut capiant vitium, ni moveantur, aquae. OVID. *ex Pont.* 1, 5, 5 *sq.*

Omnibus prodest subinde animum relaxare: excitatur enim otio vigor et omnis tristitia, quae continuatione pertinacis studii adducitur, feriarum hilaritate discutitur.
SEN. *controv.* 1. *praef.* §. 15.

Nihil tam certum est quam otii vitia negotio discuti. SEN. *epist.* 56, 9.

Otium sine literis mors est et hominis vivi sepultura. SEN. *epist.* 82, 3.

Variam semper dant otia mentem. LUCAN. *Phars.* 4, 704.

Tempestiva quies, major post otia virtus. STAT. *silv.* 4, 4, 33.

Papyrus.

Papyro constat immortalitas hominum. PLIN. *nat. hist.* 13, 11 (21), 70.

Parens (Parentes).

Ames parentem, si aequus est: si aliter, feras. P. SYRI *sent.* 18.

Parentum est vita vilis liberis,
ubi malunt metui quam vereri se ab suis. AFRAN. *com. fr.* 33 *sq.*

Virgo atque mulier nulla erit, quin sit mala,
quae praeter sapiet quam placet parentibus. PLAUT. *Pers.* 3, 1, 38 (365) *sq.*

Probum patrem esse oportet, qui gnatum suum
esse probiorem quam ipsus fuerit postulet. PLAUT. *Pseud.* 1, 5, 23 (438) *sq.*

Faciundum est nobis quod parentes imperant. PLAUT. *Stich.* 1, 1, 54.

Sagax parentum est cura. SEN. *Hippol.* 152.

Parentes objurgatione digni sunt, qui nolunt liberos suos severa lege proficere. PETRON. *satyr.* 4, 1.

Parēre.

Parēre scire par imperio gloria est. P. Syri *sent.* 356.

Parsimonia.

O di immortales! non intelligunt homines quam magnum vectigal sit parsimonia. Cic. *parad.* 6, 3, 49.

Sera parsimonia in fundo est. Sen. *epist.* 1, 4 (5).

Non minor est virtus, quam quaerere, parta tueri:
casus inest illic. hoc erit artis opus. Ovid. *art. am.* 2, 13 *sq.*

Plus est servasse repertum,
quam quaesisse novum. Claudian. *de laud. Stilich.* 2, 326 *sq.*

Parva.

Ex parvis saepe magnarum momenta rerum pendent. Liv. *hist.* 27, 9, 1.

Omnium rerum principia parva sunt. Cic. *de fin.* 5, 21, 58.

Flamma recens parva sparsa resedit aqua. Ovid. *her.* 17, 190.

Parva saepe scintilla contempta magnum excitavit incendium. Curt. *de gest. Alex.* 6, 3 (8), 11.

Patientia.

Cuivis dolori remedium est patientia. P. Syri *sent.* 106.

Feras, non culpes, quod mutari non potest. P. Syri *sent.* 158.

Levius fit patientia,
quidquid corrigere est nefas. HORAT. *carm.* 1, 24, 19 *sq.*

Perferre obdura! dolor hic tibi proderit olim. OVID. *amor.* 3, 11, 7.

Optimum est pati, quod emendare non possis. SEN. *epist.* 107, 9.

Unum est levamentum malorum ingentium, pati et necessitatibus suis obsequi. SEN. *de ira* 3, 16, 1.

Gaudet patientia duris;
laetius est, quoties magno sibi constat, honestum. LUCAN. *Phars.* 9, 403.

Patientia quaeri debet quod gratia impetrari nequit. VAL. MAX. *fact. et dict. mem.* 7, 5. *prooem.*

Patria.

Patria est ubicumque est bene. PACUV. *ap.* CIC. *Tusc. disput.* 5, 37, 108 (TRAGIC. *inc. fab. fr.* 92 *ed. Ribb.*).

Ubi sis cum tuis, et si absis, patriam non desideres. P. SYRI *sent.* 545.

Patria est ubicumque vir fortis sedem sibi elegit. CURT. *de gest. Alex.* 6, 4 (11), 13.

Nemo patriam quia magna est amat, sed quia sua. SEN. *epist.* 66, 26.

Dulce et decorum est pro patria mori. HORAT. *carm.* 3, 2, 13.

Praeferre patriam liberis regem decet. SEN. *Troad.* 332.

Nefas est nocere patriae. SEN. *de ira* 2, 31, 6 (7).

Pauper. Paupertas.

Facinus audax incipit,
qui cum opulento pauper coepit rem habere aut negotium.
PLAUT. *Aul.* 3, 4, 1 (460) *sq.*

Hominem experiri multa paupertas jubet. P. SYRI *sent.* 191.

Quam timidus est is, paupertatem qui timet. P. SYRI *sent.* 406.

Secunda in paupertate fortuna est fides. P. SYRI *sent.* 460.

Curia pauperibus clausa est. dat census honores.
OVID. *amor.* 3, 8, 55.

In pretio pretium nunc est. dat census honores,
census amicitias. pauper ubique jacet. OVID. *fast.* 1, 217 *sq.*

Pauper amet caute. timeat maledicere pauper:
multaque divitibus non patienda ferat. OVID. *art. am.* 2, 167 *sq.*

Quis est pauper? qui sibi videtur. SEN. *de mor. no.* 60.

Scire uti paupertate maxima felicitas. SEN. *de mor. no.* 137.

Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. SEN. *epist.* 2, 4 (6).

Etiam in obsessa via pauperi pax est. SEN. *epist.* 14, 8 (9).

Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet aut pauperi similis. SEN. *epist.* 17, 4.

Magnus ille qui in divitiis pauper est. SEN. *epist.* 20, 9 (10).

Causa paupertatis plerisque probitas est. CURT. *de gest. Alex.* 4, 1 (3), 20.

Non sibi felix pauper habetur,
nisi felices cecidisse videt. SEN. *Herc. Oet.* 673 *sq.*

Semper pauper eris, si pauper es, Aemiliane.
Dantur opes nulli nunc nisi divitibus. MARTIAL. *epigr.* 5, 81.

Nil habet infelix paupertas durius in se,
quam quod ridiculos homines facit. JUVEN. *sat.* 3, 152 *sq.*

Multis res angusta domi, sed nulla pudorem
paupertatis habet. JUVEN. *sat.* 6, 357 *sq.*

Pax.

Paritur pax bello. CORN. NEP. *Epam.* 5, 4.

Melior tutiorque est certa pax quam sperata victoria; haec in nostra, illa in deorum manu est. LIV. *hist.* 30, 30, 19.

Candida pax homines, trux decet ira feras. OVID. *art. am.* 3, 502.

Pax Cererem nutrit. pacis alumna Ceres. OVID. *fast.* 1, 704.

Pacem reduci velle victori expedit,
victo necesse est. SEN. *Herc. fur.* 368 *sq.*

Qui desiderat pacem, praeparat bellum. VEGET. *de re mil.* 3. *prol. extr.* p. 58 *ed. Bip.*

Peccatum. Peccare.

Geminat peccatum, quem delicti non pudet. P. SYRI *sent.* 177.

Peccatum extenuat, qui celeriter corrigit. P. SYRI *sent.* 363.

Ipse intrat culpam, qui peccatum praeterit. P. SYRI *sent.* 238.

Quum vitia prosunt, peccat qui recte facit. P. SYRI *sent.* 110.

In turpem rem peccare bis delinquere est. P. SYRI *sent.* 230.

Turpis excusatio est et minime accipienda quum in ceteris peccatis, tum si quis contra rem publicam se amici causa fecisse fateatur. CIC. *de amicit.* 12, 40.

Nulla est excusatio peccati, si amici causa peccaveris. CIC. *de amicit.* 11, 37.

Si, quotiens peccant homines, sua fulmina mittat
Juppiter, exiguo tempore inermis erit. OVID. *trist.* 2, 33 *sq.*

Nemo non nostrum peccat. homines sumus, non dei. PETRON. *satyr.* 75, 1.

Qui non vetat peccare, quum possit, jubet. SEN. *Troad.* 291.

Multum interest, utrum peccare aliquis nolit, an nesciat. SEN. *epist.* 90, 45 (46).

Pecunia.

Pecunia una regimen est rerum omnium. P. SYRI *sent*. 364.

Quid tibi pecunia opus est, si uti non potes? P. SYRI *sent*. 419.

Pecunia in loco negligere maximum interdum est lucrum.
TERENT. *Adelph*. 2, 2, 8 (216).

Pecunia omnium dignitatem exaequat. CIC. *epist. ad Attic*. 4, 15, 7.

Omnia pecunia effici possunt. CIC. *Verr. act*. II. *lib*. 3, 67, 155.

Est pecunia effectrix multarum et magnarum voluptatum. CIC. *de fin*. 2, 17, 55.

Optimus pecuniae modus est, qui nec in paupertatem cadit nec procul a paupertate discedit. SEN. *de tranqu*. 8, 6 (9).

Neminem pecunia divitem fecit. SEN. *epist*. 119, 9.

Ex quo pecunia in honore esse coepit, verus rerum honor occidit. SEN. *epist*. 115, 10.

Majore tormento pecunia possidetur quam quaeritur. SEN. *epist*. 115, 16.

Pecunia ingens generis humani bonum. SEN. *epist*. 115, 15 (*cf*. Euripid. Beller. fr. 5 *ed. Wagner*.: *ὦ χρυσὲ, δεξίωμα κάλλιστον βροτοῖς*).

Pecuniae imperare oportet, non servire. SEN. *de mor. no*. 58.

Non omnia possunt opes vestrae neque in cunctis,

quae humanam continent vitam, domina pecunia est. QUINTIL. *decl.* 252 p. 32 *ed. Bip.*

Quantum quisque sua nummorum servat in arca,
tantum habet et fidei. JUVEN. *sat.* 3, 143 *sq.*

Percontator.

Percontatorem fugito; nam garrulus idem est. HORAT. *epist.* 1, 18, 69.

Peregrinatio.

Hominum natura novitatis ac peregrinationis avida est. PLIN. *nat. hist.* 17, 10 (12), 66.

Peregrinatio non facit medicum, non oratorem. nulla ars loco discitur. SEN. *epist.* 104, 18 (19).

Perfidus.

Aditum nocendi perfido praestat fides. SEN. *Oedip.* 686.

Periculum.

Caret periclo, qui etiam quum est tutus, cavet. P. SYRI *sent.* 82.

Citius venit periculum, quum contemnitur. P. SYRI *sent.* 88.

Misera est voluptas, ubi pericli memoria est. P. SYRI *sent.* 293.

Numquam periculum sine periclo vincitur. P. SYRI *sent.* 342.

Pericla timidus etiam quae non sunt videt. P. SYRI *sent.* 371.

Potenti irasci sibi periclum est quaerere. P. SYRI *sent.* 378.

Non fit sine periclo facinus magnum nec memorabile. TERENT. *Heaut. tim.* 2, 3, 73 (314).

Sua quisque pericula nescit. LUCAN. *Phars.* 7, 133.

Philosophia.

Numquam laudari satis digne philosophia poterit, cui qui pareat omne tempus aetatis sine molestia possit degere. CIC. *de senect.* 1. §. 2.

Pietas.

Pietas fundamentum est omnium virtutum. CIC. *pro Planc.* 12, 29.

Redire pietas, unde summota est, solet,
reparatque vires justus amissas amor. SEN. *Thyest.* 474 *sq.*

Nulla vis major pietate vera est. SEN. *Thyest.* 549.

Ira pietatem fugat,
iramque pietas. SEN. *Med.* 943 *sq.*

Piger.

Nimis homo nihili est, qui piger est. PLAUT. *Rud.* 4, 2, 15 (920).

Placabilitas.

Nihil laudabilius, nihil magno et praeclaro viro dignius placabilitate atque clementia. CIC. *de offic.* 1, 25, 88.

Placere.

Non quam multis placeas, sed qualibus, stude. SEN. *de mor. no.* 8.

Poena.

Poenam moratur improbus, non praeterit. P. Syri *sent*. 374.

Praesens poena sit. Cic. *de divin*. 2, 59, 122.

Raro antecedentem scelestum
deseruit pede poena claudo. Horat. *carm*. 3, 2, 31 *sq*.

Culpam poena premit comes. Horat. *carm*. 4, 5, 24.

Sera, tamen tacitis Poena venit pedibus. Tibull. *carm*. 1, 9, 4.

Potest poena dilata exigi, non potest exacta revocari. Sen. *de ira* 2, 23, 1 (2, 22, 4).

Satis est poenarum potuisse puniri. Sen. *de mor*. *no*. 69.

Nemo nocens sibi ipse poenas abrogat. Sen. *Herc. Oet*. 899.

Omnis poena non tam ad delictum pertinet quam ad exemplum. Quintil. *decl*. 274 *extr*.

Poenitentia.

Cave quidquam incipias, quod poeniteat postea. P. Syri *sent*. 86.

Optimus est portus poenitenti mutatio consilii. Cic. *orat. Phil*. 12, 3, 7.

Quem poenitet peccasse, paene est innocens. Sen. *Agam*. 243.

Poëta.

Suo jure noster ille Ennius sanctos appellat poetas, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur. Cic. *pro Arch. poët*. 8, 18.

Poëta bonus nemo sine inflammatione animorum exsistere potest et sine quodam afflatu quasi furoris. CIC. *de orat.* 2, 46, 194.

Negat sine furore Democritus quemquam poëtam magnum esse posse. CIC. *de divin.* 1, 37, 80.

Aut prodesse volunt aut delectare poëtae. HORAT. *epist.* 2, 3, 333.

Potens.

Potenti irasci sibi periclum est quaerere. P. SYRI *sent.* 378.

Multa ignoscendo fit potens potentior. P. SYRI *sent.* 647.

Nemo potentes aggredi tutus potest. SEN. *Med.* 430.

Numquam est fidelis cum potente societas. PHAEDR. *fab.* 1, 5, 1.

Contra potentes nemo est munitus satis. PHAEDR. *fab.* 2, 7, 1.

Potentia.

Nulla potentia longa est. OVID. *met.* 2, 416.

Conspicitur numquam meliore potentia causa,
quam quotiens vanas non sinit esse preces. OVID. *ex Pont.* 2, 9, 15 *sq.*

Omnis nimia potentia saluberrime in brevitatem constringitur. SEN. *controv.* 3 (7), 23. §. 1.

Non diu potest quae multorum malo exercetur potentia stare. SEN. *de ira* 3, 16, 2.

Potentia cautis quam acribus consiliis tutius habetur. TACIT. *annal.* 11, 29.

Nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est quam fama potentiae non sua vi nixae. TACIT. *annal.* 13, 19.

Ea demum tuta est potentia, quae viribus suis modum imponit. VAL. MAX. *fact. et dict. mem.* 4, 1. *Ext.* 8.

Quosdam praecipitat subjecta potentia magnae
invidiae, mergit longa atque insignis honorum
pagina. JUVEN. *sat.* 10, 56 *sqq.*

Potentia divina.

Ludit in humanis divina potentia rebus,
et certam praesens vix habet hora fidem. OVID. *ex Pont.* 4, 3, 49 *sq.*

Potestas.

Stultitia est ei te esse tristem, cujus potestas plus potest.

PLAUT. *Cas.* 2, 4, 4 (174).

Emitur sola virtute potestas. CLAUDIAN. *de III. cons. Honor.* 188.

Nihil tam civile, tam utile est, quam brevem potestatem esse, quae magna est. SEN. *controv.* 3 (7), 23. §. 7.

Praeceptor.

Optimus quisque praeceptor frequentia gaudet ac majore se theatro dignum putat. QUINTIL. *instit. orat.* 1, 2, 9.

Praeceptores plus laboris ab iis discipulis exigunt, in quibus certior spes est. SEN. *de provid.* 4, 10 (11).

Di praeceptorem sancti voluere parentis
esse loco. JUVEN. *sat.* 7, 209 *sq.*

Praeceptum.

Longum iter est per praecepta, breve et efficax per exempla. SEN. *epist.* 6, 5.

Eadem est praeceptorum conditio quae seminum: multum efficiunt, et angusta sunt. SEN. *epist.* 38, 2.

Praecepta dare scienti supervacuum est, nescienti parum. SEN. *epist.* 94, 11.

Ingenii vis praeceptis alitur et crescit. SEN. *epist.* 94, 30.

Praecepta bona, si saepe tecum sunt, aeque sunt profutura, quam bona exempla. SEN. *epist.* 94, 42.

Quibusdam praeceptis efficaciter feriuntur etiam imperitissimi. SEN. *epist.* 94, 42 (43).

Nihil aliud praecipi debet, nisi quod prius quisque sibi imperaverit. VAL. MAX. *fact. et dict. mem.* 8, 6, 3.

Pejora juvenes facile praecepta audiunt. SEN. *Thyest.* 309.

Praemium.

Quum das avaro praemium, ut noceat rogas. P. SYRI *sent.* 108.

Egregios invitant praemia mores. CLAUDIAN. *de laud. Stil.* 2, 125.

Praeterita.

Praeterita magis reprehendi possunt quam corrigi. LIV. *hist.* 30, 30, 7.

Praetermissa.

Praetermissa frustra revocantur. PLIN. *nat. hist.* 18, 6 (8), 44.

Praesentia.

Minuit praesentia famam. CLAUDIAN. *de bell. Gild.* 385.

Omne futurum
despicitur suadentque brevem praesentia fructum.
CLAUDIAN. *in Eutrop.* 2, 50 *sq.*

Spernimus in commune omnes praesentia. AUSON. *edyll.* 15, 18.

Preces.

Et jam si pecces, deus exorabilis ille est,
si modo praesentes viderit esse preces. PROPERT. *carm.* 2 (3), 30, 11 *sq.*

Vincuntur molli pectora dura prece. TIBULL. *carm.* 3, 4, 76.

Flectitur iratus voce rogante deus. OVID. *art. am.* 1, 442.

Offendunt numquam tura precesque Jovem. MARTIAL. *epigr.* 8, 24, 4.

Precibus numquam implacabilis obstes. CLAUDIAN. *de laud. Stil.* 2, 19.

Pretium meriti.

Qui pretium meriti ab improbis desiderat,
bis peccat: primum, quoniam indignos adjuvat;
impune abire deinde quia jam non potest. PHAEDR. *fab.* 1, 8, 1 *sqq.*

Princeps.

Principibus placuisse viris non ultima laus est. HORAT. *epist.* 1, 17, 35.

Principis est virtus maxima nosse suos. MARTIAL. *epigr.* 8, 15, 8.

Ferrum tuetur principem; melius fides. SEN. *Octav.* 456.

Decet timeri Caesarem; at plus diligi. SEN. *Octav.* 457.

Caesari, cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent. SEN. *de consol. ad Polyb.* 7 (26), 3.

In principatu commutando saepius
nil praeter domini nomen mutant pauperes. PHAEDR. *fab.* 1, 17, 1.

Probitas. Probus.

Causa paupertatis plerisque probitas est. CURT. *de gest. Alex.* 4, 1 (3), 20.

Adversis probitas exercita rebus,
tristi materiam tempore laudis habet. OVID. *trist.* 5, 5, 49 *sq.*

Probitas laudatur et alget. JUVEN. *sat.* 1, 74.

Is probus est, quem poenitet quam probus sit et frugi bonae.
Qui ipsus sibi satis placet, nec probus est nec frugi bonae.
PLAUT. *Trin.* 2, 2, 39 (321 *sq*).

Prodesse.

Prodesse qui vult nec potest, aeque est miser. P. Syri *sent.* 383.

Proditor.

Nemo umquam sapiens proditori credendum putavit. Cic. II. *Verr.* 1, 15, 38.

Proditores etiam iis quos anteponunt invisi sunt. Tacit. *annal.* 1, 58.

Promissa.

Pollicitis dives quilibet esse potest. Ovid. *art. am.* 1, 444.

Multa fidem promissa levant, ubi plenius aequo
laudat venales, qui vult extrudere, merces. Horat. *epist.* 2, 2, 10 *sq.*

Priusquam promittas, deliberes, et quum promiseris, facias. Sen. *de mor. no.* 25.

Proximus.

Proximus sum egomet mihi. Terent. *Andr.* 4, 1, 4, 1, 12 (636).

Tunica propior pallio est. Plaut. *Trin.* 5, 2, 30 (1154).

Prudens. Prudentia.

Prudentis vultus etiam sermonis loco est. P. Syri *sent.* 388.

Quod prudentis opus? Quum possit, nolle nocere.
Quid stulti proprium? Non posse, et velle nocere. Auson. *sept. sapient. sent.* 1, 6 *sq.*

Nullas recipit prudentia metas. CLAUDIAN. *de Mall. Theod. cons.* 143.

Saepe acri potior prudentia dextra. VAL. FLACC. *Argon.* 4, 622.

Justitia sine prudentia multum poterit, sine justitia nihil valebit prudentia. CIC. *de offic.* 2, 9, 34.

Pudicitia.

Nulla reparabilis arte
laesa pudicitia est. OVID. *heroid.* 5, 103 *sq.*

Lis est cum forma magna pudicitiae. OVID. *her.* 16, 288.

Pudor.

Ego illum perisse dico, quoi quidem periit pudor. PLAUT. *Bacch.* 3, 3, 81 (485).

Pudor doceri non potest, nasci potest. P. SYRI *sent.* 390.

Pudorem alienum qui eripit, perdit suum. P. SYRI *sent.* 391.

Stultorum incurata pudor malus ulcera celat. HORAT. *epist.* 1, 16, 24.

Malus est minister regii imperii pudor. SEN. *Hippol.* 430.

Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor. SEN. *Troad.* 334.

Nullus est miseris pudor. SEN. *Oedip.* 65.

Redire, quum perit, nescit pudor. SEN. *Agam.* 113.

Obstare primum est velle nec labi via:
pudor est secundus, nosse peccandi modum. SEN. *Hippol.* 140 *sq.*

Quaestus.

Ad suum quemque hominem quaestum esse aequom est callidum.
PLAUT. *Asin.* 1, 3, 34 (186).

Querella.

Ubi omnes peccant, spes querellae tollitur. P. SYRI *sent.* 853.

Quem spes delusit, huic querella convenit. PHAEDR. *fab.* 5, 6, 7.

Ratio.

Nihil sine ratione faciendum est. SEN. *de benef.* 4, 10, 2.

Ratio arbitra est bonorum ac malorum. SEN. *epist.* 66, 33 (35).

Bonum sine ratione nullum est: sequitur autem ratio naturam. SEN. *epist.* 66, 36 (39).

Nihil potest esse diuturnum, cui non subest ratio. CURT. *de gest. Alex.* 4, 14 (54), 19.

Regnum, *vid.* **Rex.**

Remedium.

Cuivis dolori remedium est patientia. P. SYRI *sent.* 106.

Injuriarum remedium est oblivio. P. SYRI *sent.* 222.

Temerariis remediis graves morbi curantur. SEN. *excerpt. controv.* 4, 5. §. 3.

Plurimum remedia continuata proficiunt. SEN. *epist.* 69, 1 (2).

Reprehensio.

Nulli patientius reprehenduntur quam qui maxime laudari merentur. PLIN. *epist.* 7, 20, 1.

Reverentia.

Reverentia frenat animos ac vitia compescit. SEN. *epist.* 94, 43 (44).

Rex. Regnum.

Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi. HORAT. *epist.* 1, 2, 14.

An nescis longas regibus esse manus? OVID. *her.* 17, 166.

Nil pudet assuetos sceptris: mitissima sors est
regnorum sub rege novo. LUCAN. *Phars.* 8, 452 *sq.*

Numquam libertas gratior exstat
quam sub rege pio. CLAUDIAN. *de cons. Stilich.* 3, 114 *sq.*

Tunc omnia jure tenebis,
quum poteris rex esse tui. CLAUDIAN. *de* IIII. *cons. Honor.* 261 *sq.*

Magni constant regum amicis bona consilia. SEN. *de ira* 3, 14, 7 (6).

Errat, si quis existimat tutum esse ibi regem, ubi nihil a rége tutum. SEN. *de clem.* 1, 19, 4 (5).

Gravis ira regum est semper. SEN. *Med.* 494.

Rex velit honesta: nemo non eadem volet. SEN. *Thyest.* 213.

Rex est, qui metuit nihil;
rex est, qui cupiet nihil. SEN. *Thyest.* 388 *sq.*

Crudele regnum turbidum tenebrisque obscurum est. SEN. *de clem.* 1, 7, 2 (3).

Iniqua numquam regna perpetuo manent. SEN. *Med.* 196.

Invisa numquam imperia retinentur diu. SEN. *Phoeniss.* 660.

Non capit regnum duos. SEN. *Thyest.* 444.

Ars prima regni posse ad invidiam pati. SEN. *Herc. fur.* 353.

Ubi non est pudor,
nec cura juris, sanctitas, pietas, fides,
instabile regnum est. SEN. *Thyest.* 215 *sq.*

Ut parentium saevitia, sic patriae patiendo ac ferendo lenienda est. LIV. *hist.* 27, 34, 14. — *Cf.* **Imperium.**

Risus.

In calamitoso risus etiam injuria est. P. SYRI *sent.* 210.

Risu inepto res ineptior nulla est. CATULL. *carm.* 39, 16.

Rogare.

Frustra rogatur, qui misereri non potest. P. SYRI *sent.* 597.

Ingenuitatem laedis, quum indignum rogas. P. SYRI *sent.* 613.

Eligito tempus captatum saepe rogandi,
exeat adversa ne tua navis aqua. OVID. ex *Pont.* 3, 1, 129 *sq.*

Qui timide rogat,
docet negare. SEN. *Hippol.* 593 *sq.*

Rumor.

Ad calamitatem quilibet rumor valet. P. SYRI *sent.* 4.

Frugalitas miseria est rumoris boni. P. SYRI *sent.* 174. — *Cf.* **Fama.**

Salus.

An quid olim homini est
salute melius? PLAUT. *Asin.* 3, 3, 127 (717).

Dubiam salutem qui dat afflictis, negat. SEN. *Oedip.* 213.

Sanitas.

Pars sanitatis velle sanari fuit (est). SEN. *Hippol.* 249.

Sapere. Sapientia. Sapiens.

Qui ipse sibi sapiens prodesse non quit, nequiquam sapit. ENN. *trag. fr.* 310 (240).

Saepe est etiam sub palliolo sordido sapientia. CAECIL. *com. fr.* 266.

Nemo solus satis sapit. PLAUT. *Mil. glor.* 3, 3, 12 (885).

Nisi per te sapias, frustra sapientem audias. P. SYRI *sent.* 327.

Istuc est sapere, qui ubicumque opus sit animum possis flectere.
TERENT. *Hec.* 4, 3, 2 (608).

Istuc est sapere, non quod ante pedes modo est

videre, sed etiam illa quae futura sunt
prospicere. TERENT. *Adelph.* 3, 3, 32 (386) *sq.*

Nulli sapere casu obtigit. SEN. *epist.* 76, 4 (6).

Licet sapere sine pompa, sine invidia. SEN. *epist.* 103, 4 (5).

Nemo mortalium omnibus horis sapit. PLIN. *nat. hist.* 7, 40 (41), 131.

Non aetate, verum ingenio apiscitur sapientia. PLAUT. *Trin.* 2, 2, 88 (367).

Virtus est vitium fugere, et sapientia prima
stultitia caruisse. HORAT. *epist.* 1, 1, 41 *sq.*

Omnia prius experiri quam armis sapientem decet. TERENT. *Eun.* 4, 7, 19 (789).

Sapiens et bonum ferre potest modice et malum fortiter aut leviter. VARR. *sat. Menipp.* 33, 4. p. 129 *ed. Oehler.*

Quis sapiens bono
confidat fragili? dum licet utere! SEN. *Hippol.* 773 *sq.*

Satietas.

Continuis vicina satietas. QUINTIL. *decl.* 306. p. 188 *ed. Bip.*

Scelus.

Prosperum ac felix scelus
virtus vocatur. SEN. *Herc. fur.* 251 *sq.*

Ad auctores redit
sceleris coacti culpa. SEN. *Troad.* 870 *sq.*

Saepe in magistrum scelera redierunt sua. SEN. *Thyest.* 311.

Per scelera semper sceleribus tutum est iter. SEN. *Agam.* 115.

Patiare potius ipse quam facias scelus. SEN. *Phoeniss.* 494.

Scientia.

Quid est bonum? rerum scientia. quid malum est. rerum imperitia. SEN. *epist.* 31, 6.

Natura semina nobis scientiae dedit, scientiam non dedit. SEN. *epist.* 120, 3 (4).

Scire.

Si sapis,
quod scis nescis. TERENT. *Eun.* 4, 4, 53 (721 *sq.*)

Secundae res.

Omnes, quum secundae res sunt maxume, tum maxume
meditari secum oportet, quo pacto advorsam aerumnam ferant.
TERENT. *Phorm.* 2, 1, 11 (241) *sq.*

Errant, qui in prosperis rebus omnes impetus fortunae se putant fugisse; sapienter cogitant, qui temporibus secundis casus adversos reformidant. CORNIF. *rhet.* 4, 17, 24.

Luxuriant animi rebus plerumque secundis,
nec facile est aequa commoda mente pati. OVID. *art. am.* 2, 437.

Secundae res acrioribus stimulis animos explorant, quia miseriae tolerantur, felicitate corrumpimur. TACIT. *hist.* 1, 15.

Prospera animos efferunt. SEN. *Agam.* 252.

Nemo confidat nimium secundis. SEN. *Thyest.* 615.

Secunda non habent umquam modum. SEN. *Oedip.* 694. — *Cf.* **Fortuna.**

Securitas.

Securitatis magna portio est nihil iniqui facere. SEN. *epist.* 105, 7.

Securitas securitate mutua paciscenda est. SEN. *de clem.* 1, 19, 4 (5).

Regibus certior est ex mansuetudine securitas. SEN. *de clem.* 1, 8, 4 (6).

Seditio.

Seditio civium hostium est occasio. P. SYRI *sent.* 462.

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes? JUVEN. *sat.* 2, 24.

Semidoctus.

Omnium artium imperitum et indoctum omnino esse praestat, quam semiperitum ac semidoctum. FRONTO *epist. ad M. Caes.* 4, 3 *in.*

Senex. Senectus.

Profecto deliramus interdum senes! PLAUT. *Epid.* 3, 3, 11 (385).

Avidum esse oportet neminem, minime senem. P. SYRI *sent.* 41.

Nihil turpius quam vivere incipiens senex. P. SYRI *sent.* 661.

Mature fias senex, si diu velis senex esse. Cic. *de senect.* 10, 32.

Prima languescit senum
memoria longo lassa sublabens situ. Sen. *Oedip.* 817 *sq.*

Laetitia juvenem, frons decet tristis senem. Sen. *Hippol.* 453.

Senectus ipsa est morbus. Terent. *Phorm.* 4, 1, 9 (575).

Senectus insanabilis morbus est. Sen. *epist.* 108, 28.

Senectus crepusculum est, quod longum esse non potest. Fronto *epist. ad amic.* 2, 6. p. 307 *ed. Rom.* (1823).

Nemo nostrum idem est in senectute, qui fuit juvenis. Sen. *epist.* 58, 19 (22).

Seris venit usus ab annis. Ovid. *met.* 6, 29.

Venturae memores jam nunc estote senectae:
sic nullum vobis tempus abibit iners. Ovid. *art. am.* 3, 59 *sq.*

Dum bibimus, dum serta unguenta puellas
poscimus, obrepit non intellecta senectus. Juven. *sat.* 9, 128 *sq.*

Grata senectus homini, quae parilis juventae. Auson. *sept. sapient. sent.* 6, 6.

Sermo, *vid.* **Oratio.**

Serus.

Serum est cavendi tempus in mediis malis. Sen. *Thyest.* 487.

Sera numquam est ad bonos mores via. SEN. *Agam.* 242.

Servitus.

In servitutem cadere de regno grave est. SEN. *Phoeniss.* 598.

Durum et invisum et grave est
servitia ferre. SEN. *Troad.* 909 *sq.*

Servus.

Nequius nil quam egens consili servos est. PLAUT. *Bacch.* 4, 4, 8 (651).

Servi qui, quom culpa carent, tamen malum
metuunt, hi solent esse utibiles heris. PLAUT. *Most.* 4, 1, 1 (858) *sq.*

Plus scire satius est quam loqui
servom hominem; ea sapientia est. PLAUT. *Epid.* 1, 1, 57 *sq.*

Hominem servom suos
domitos habere oportet oculos et manus
orationemque. PLAUT. *Mil. glor.* 2, 6, 80 (563) *sqq.*

Silentium, Silere, *vid.* **Tacere.**

Simulatio.

Malus ubi bonum se simulat, tunc est pessimus. P. SYRI *sent.* 284.

Simulare certe est hominis. TERENT. *Adelph.* 4, 7, 16 (734).

Ab inquieto saepe simulatur quies. SEN. *Oedip.* 684.

Heu quam difficile est crimen non prodere vultu! Ovid. *met.* 2, 447.

Ars est captandi quod nolis velle videri. Martial. *epigr.* 11, 55, 3.

Turpe est aliud loqui, aliud sentire: quanto turpius aliud scribere, aliud sentire. Sen. *epist.* 24, 18 (19).

Societas.

Numquam est fidelis cum potente societas. Phaedr. *fab.* 1, 5, 1.

Salva esse societas nisi custodia et amore partium non potest. Sen. *de ira* 2, 31, 7.

Solatium.

Ex praemi spe laboris fit solatium. P. Syri *sent.* 587.

Grande solatium est cum universo rapi. Sen. *de provid.* 5, 6 (8).

Nihil tam acerbum est, in quo non aequus animus solatium inveniat. Sen. *de tranqu.* 10, 4.

Saepe calamitatis solatium est nosse sortem suam. Curt. *de gest. Alex.* 4, 10 (42), 26.

Sollertia.

Quod multorum fugit imprudentiam,
unius hominis repperit sollertia. Phaedr. *fab.* 4, 5, 48 *sq.*

Omnia conando docilis sollertia vincit. Manil. *Astron.* 1, 95.

Somnus.

Quid est somnus, gelidae nisi mortis imago? OVID. *amor.* 2, 9, 41.

Omnia quae sensu volvuntur vota diurno,
pectore sopito reddit amica quies. CLAUDIAN. *praef. in* VI. *cons. Honor.* 2.

Stultum est somno delectari et quasi mortem moliri, quum somnus assidua sit mortis imitatio. SEN. *de mor. no.* 113.

Soror.

Soror recuperari bona non potest. SEN. *de remed. fort.* 16. §. 9.

Sperare. Spes.

Insperata accidunt magis saepe quam quae speres. PLAUT. *Most.* 1, 3, 40 (197).

Inter voluptates est superesse quod speres. SEN. *de ira* 3, 31, 3.

Omnia homini, dum vivit, speranda sunt. SEN. *epist.* 70, 5 (6).

Magnae indolis signum est sperare semper. FLOR. *hist.* 4, 8, 7.

Qui nil potest sperare, desperet nihil. SEN. *Med.* 163.

Miserrimum est timere, quum speres nihil. SEN. *Troad.* 425.

Credula vitam
spes fovet et fore cras semper ait melius. TIBULL. *carm.* 2, 6, 19 *sq.*

Spatio brevi
spem longam reseces. dum loquimur, fugerit invida
aetas. Horat. *carm.* 1, 11, 6 *sq.*

Fallitur augurio spes bona saepe suo. Ovid. *her.* 17, 234.

Utendum est animis, dum spe calent. Curt. *de gest. Alex.* 4, 1 (5), 29.

Spes est ultimum adversarum rerum solatium. Sen. *excerpt. controv.* 5, 1. §. 2.

Nihil gravius quam destitutae spes torquent. Quintil. *decl.* 12, 17. p. 237 *ed. Bip.*

Studium.

Quot capitum vivunt, totidem studiorum
milia. Horat. *sat.* 2, 1, 27 *sq.*

Si non
intendes animum studiis et rebus honestis,
invidia vel amore vigil torquebere. Horat. *epist.* 1, 2, 35 *sq.*

Est cupidus studiorum quisque suorum,
tempus et assueta ponere in arte juvat. Ovid. *ex Pont.* 1, 5, 35 *sq.*

Studiorum salutarium etiam citra effectum laudanda tractatio est. Sen. *de vit. beat.* 20, 1.

Studia (literarum) optime et felicitatem extollunt et facillime minuunt calamitatem eademque et ornamenta maxima hominum sunt et solatia. Sen. *de consol. ad Polyb.* 17 (36), 6 (18, 1).

Sublatis studiorum pretiis etiam studia pereunt. TACIT. *annal.* 11, 7.

Stultus. Stultitia.

Stultorum plena sunt omnia. CIC. *epist. ad famil.* 9, 22, 4.

Eventus stultorum magister est. LIV. *hist.* 22, 39, 10.

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt. HORAT. *sat.* 1, 2, 24.

Est proprium stultitiae aliorum vitia cernere, oblivisci suorum. CIC. *Tusc. disput.* 3, 30, 73.

Successus.

Successus improborum plures allicit. PHAEDR. *fab.* 2, 3, 7.

Successus ad perniciem multos devocat. PHAEDR. *fab.* 3, 5, 1.

Superbia.

Inquinat egregios adjuncta superbia mores. CLAUDIAN. *de* IIII. *cons. Honor.* 305.

Superbiam, verborum praesertim, iracundi oderunt, prudentes irrident. LIV. *hist.* 45, 23, 18.

Suspicio.

Suspicio sibi ipsa rivales parit. P. SYRI *sent.* 483.

Tacere.

Ita sapere opino esse optumum, ut pro viribus

tacere ac fabulari tute noveris. ENN. *trag. fr.* 181 (133) *sq.*

Miserum est tacere cogi, quod cupias loqui. P. SYRI *sent.* 295.

Saepius locutum, numquam me tacuisse poenitet. P. SYRI *sent.* 806.

Est et fideli tuta silentio
merces. HORAT. *carm.* 3, 2, 25 *sq.*

Quis minor est, quam tacuisse, labor? OVID. *amor.* 2, 2, 28.

Exigua est virtus praestare silentia rebus.
At contra gravis est culpa tacenda loqui. OVID. *art. am.* 2, 603 *sq.*

Ubi non licet tacere, quid cuiquam licet. SEN. *Oedip.* 526.

Imperia solvit, qui tacet, jussus loqui. SEN. *Oedip.* 527.

Tacere multis discitur vitae malis. SEN. *Thyest.* 319.

Alium silere quod voles, primus sile. SEN. *Hippol.* 876.

Magna res est vocis et silentii tempora nosse. SEN. *de mor. no.* 74.

Loqui ignorabit, qui tacere nesciet. AUSON. *sept. sapient. sent.* 2, 1.

Quod tacitum esse velis, nemini dixeris. si tibi ipsi non imperasti, quo modo ab aliis silentium speras? SEN. *de mor. no.* 16.

Tarditas.

Plerisque in rebus gerendis tarditas et procrastinatio odiosa est. CIC. *orat. Phil.* 6, 3, 7.

Temeritas.

Temeritas est florentis aetatis, prudentia senescentis. CIC. *de senect.* 6, 20.

Non semper temeritas est felix. LIV. *hist.* 28, 42, 7.

Temeritas sub titulo fortitudinis latet. SEN. *epist.* 45, 6 (7).

Unum est temeritatis solatium perpetua felicitas. CURT. *de gest. Alex.* 9, 9 (34), 3.

Caeca est temeritas, quae petit casum ducem. SEN. *Agam.* 145.

Temperantia.

Qui voluptates suas temperantia frenavit ac domuit, multo majus decus majoremque victoriam sibi peperit, quam hoste victo haberet. LIV. *hist.* 30, 14, 7.

Multo se ipsum quam hostem superare operosius est. VAL. MAX. *fact. et dict. mem.* 4, 1, 2.

Quanto quisque sibi plura negaverit,
ab dis plura feret. HORAT. *carm.* 3, 16, 21 *sq.*

Tempus.

Honesta lex est temporis necessitas. P. SYRI *sent.* 197.

Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis,
et fugiunt freno non remorante dies. OVID. *fast.* 6, 771 *sq.*

Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu,
non secus ac flumen. neque enim consistere flumen,
nec levis hora potest. sed ut unda impellitur unda,
urguetur que eadem veniens urguetque priorem:
tempora sic fugiunt pariter, pariterque sequuntur:
et nova sunt semper. nam quod fuit ante, relictum est,
fitque, quod haud fuerat, momentaque cuncta novantur.

OVID. *met.* 15, 179 *sqq.*

Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas,
omnia destruitis, vitiataque dentibus aevi
paulatim lenta consumitis omnia morte. OVID. *met.* 15, 234 *sqq.*

Etiam veros dolores mitigat tempus. QUINTIL. *instit. orat.* 6, 1, 28.

Suo quaeque tempore facienda sunt. PLIN. *nat. hist.* 18, 6 (8), 44.

Tempori aptari decet. SEN. *Med.* 175.

Nullum ad nocendum tempus angustum est malis. SEN. *Med.* 292.

O nulla longi temporis felicitas! SEN. *Agam.* 928.

Omnia tempus alit, tempus rapit: usus in arto est. OLYMP. NEMES. *ecl.* 4, 32.

Testis.

Pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem. PLAUT. *Truc.* 2, 6, 9 (476).

Non bene conducti vendunt perjuria testes. OVID. *amor.* 1, 10, 37.

Gravior esse testis solet, qui a reo surgit. SEN. *controv.* 4 (9), 27. §. 7.

Turpe quid ausurus, te sine teste time. AUSON. *sept. sapient. sent.* 7, 1.

Nullum putaveris locum sine teste. SEN. *de mor. no.* 79.

Timere. Timor.

Necesse est multos timeat, quem multi timent. LABER. *com. fr.* 126.

Quotidie damnatur, qui semper timet. P. SYRI *sent.* 95.

Stultum est timere quod vitare non possis. SEN. *de mor. no.* 39.

Miserrimum est timere, quum speres nihil. SEN. *Troad.* 425.

Nihil est nec miserius nec stultius quam praetimere. SEN. *epist.* 98, 7.

Si vultis nihil timere, cogitate omnia esse timenda. SEN. *nat. quaest.* 6, 2, 2 (3).

Qui a multis timetur, multos timet. SEN. *de mor. no.* 61.

Quasi quaedam pusillitas animi est aut praetimentis aut desperantis. LACTANT. *instit. div.* 6, 17, 17.

Degeneres animos timor arguit. VIRG. *Aen.* 4, 13.

Alternant spesque timorque fidem. OVID. *her.* 6, 38. — *Cf.* **Metus.**

Tranquillitas animi.

Non multum ad tranquillitatem locus confert: animus est, qui sibi commendet omnia. SEN. *epist.* 55, 8.

Illa tranquillitas vera est, in quam bona mens explicatur. SEN. *epist.* 56, 6.

Tristitia.

Est aliqua cognata tristitiae voluptas. SEN. *epist.* 99, 22 (25).

Difficile est tristi fingere mente jocum. TIBULL. *carm.* 3, 6, 34.

Tristitiam, si potes, non admiseris, si minus, non ostenderis. SEN. *de mor. no.* 11.

Turpis. Turpitudo.

Nemo repente fuit turpissimus. JUVEN. *sat.* 2, 83.

Bona turpitudo est, quae periclum vindicat. P. SYRI *sent.* 71.

Est honesta turpitudo pro bona causa mori. P. SYRI *sent.* 507.

Turpia ne dixeris. paulatim enim pudor per verba discutitur. SEN. *de mor. no.* 120.

Id demum est homini turpe, quod meruit pati. PHAEDR. *fab.* 3, 11, 7.

Tyrannus.

Etiam tyrannus vix precario imperat. P. SYRI *sent.* 145.

Qui terret, plus ipse timet. sors ista tyrannis
convenit. CLAUDIAN. *de* IIII. *cons. Honor.* 290 *sq.*

Qui sceptra duro saevus imperio regit
timet timentes; metus in auctorem redit. SEN. *Oedip.* 705 *sq.*

Ad generum Cereris sine caede ac vulnere pauci
descendunt reges et sicca morte tyranni. JUVEN. *sat.* 10, 112 *sq.*

Non vulgi cura tyranno,
dum sua sit modo tuta salus. VAL. FLACC. *Argon.* 5, 265 *sq.*

Usus.

Est rerum omnium magister usus. CAES. *de bell. civ.* 2, 8, 3.

Usus magister est optimus. CIC. *pro Rabir. post.* 4, 9.

Serus venit usus ab annis. OVID. *met.* 6, 29.

Intrat amor mentes usu, dediscitur usu. OVID. *remed. amor.* 503.

Ultio.

Ultio doloris confessio est. SEN. *de ira* 3, 5, 6 (8).

Semper et infirmi est animi exiguique voluptas
ultio. JUVEN. *sat.* 13, 190 *sq.*

Qui ulcisci dubitat, improbos plures facit. P. SYRI *sent.* 430.

Saepe dissimulare satius quam vel ulcisci fuit. P. SYRI *sent.* 541. — *Cf.* **Vindicta.**

Utile.

Priores partes agit quod utile est, quam quod delectat. VARR. *de re rust.* 1, 4, 2.

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci. HORAT. *epist.* 2, 3, 343.

Sidera terra
ut distant et flamma mari, sic utile recto. LUCAN. *Phars.* 8, 487 *sq.*

Numquam discrepat utile a decoro. AUSON. *sept. sapient. sent.* 4, 1.

Utilitas.

Turpe quidem dictu, sed — si modo vera fatemur —
vulgus amicitias utilitate probat. OVID. *ex Pont.* 2, 3, 7 *sq.*

Uxor.

More fit, moriri suam quisque uxorem ut velit. POMPON. *com. fr.* 31.

Uxor contenta est, quae bona est, uno viro. PLAUT. *Merc.* 4, 6, 8 (812).

Homines ipsi hanc sibi molestiam ultro atque aerumnam offerunt,
ducunt uxores. LUCIL. *sat.* 26, 1 *ed. Gerlach.*

Viri in eo culpa, si uxor modum excedit. TACIT. *annal.* 3, 34.

Non amatur anus uxor nisi memoria. QUINTIL. *decl.* 306. p. 188 *ed. Bip.*

Amor perennis conjugis castae manet. SEN. *Octav.* 192.

Varietas.

Jucundum nihil est, nisi quod reficit varietas. P. SYRI *sent.* 246.

Velle, *vid.* **Voluntas.**

Venia.

Aequum est
peccatis veniam poscentem reddere rursus. HORAT. *sat.* 1, 3, 74 *sq.*

Quam saepe veniam qui negavit, petit! SEN. *de ira* 2, 34, 4.

Gratissimum est genus veniae nescire, quid quisque peccaverit. SEN. *de ira* 2, 23, 4.

Det ille veniam facile, cui venia est opus. SEN. *Agam.* 267.

Venter.

Venter praecepta non audit, poscit, appellat, non est tamen molestus creditor: parvo dimittitur, si modo das illi, quod debes, non quod potes. SEN. *epist.* 21, 11.

Magna pars libertatis est bene moratus venter et contumeliae patiens. SEN. *epist.* 123, 3.

Magister artis ingenique largitor
venter. PERS. *sat. prol.* 10 *sq.*

Ver.

Senescimus, effugit aetas,
utere vere tuo. AUSON. *epigr.* 13, 1 *sq.*

Verbum.

Semel emissum volat irrevocabile verbum. HORAT. *epist.* 1, 18, 71.

Nescit vox missa reverti. HORAT. *epist.* 2, 3, 390.

Verecundia.

Justitiae partes sunt non violare homines, verecundiae non offendere: in quo maxime vis perspicitur decori. CIC. *de offic.* 1, 28, 99.

Veritas.

Nimium altercando veritas amittitur. P. SYRI *sent.* 326.

Obsequium amicos, veritas odium parit. TERENT. *Andr.* 1, 1, 41 (68).

Veritas laborat nimis saepe, exstinguitur numquam. LIV. *hist.* 22, 39, 19.

Veritas numquam perit. SEN. *Troad.* 614.

Veritas odit moras. SEN. *Oedip.* 850.

Est veritas obvia, sed requirentibus. MINUC. FEL. *Octav.* 22, 8.

Patet omnibus veritas. nondum est occupata. multum ex illa etiam futuris relictum est. SEN. *epist.* 33, 10 (11).

Veritatem dies aperit. SEN. *de ira* 2, 22, 5 (3).

Vetita.

Nitimur in vetitum semper cupimusque negata. OVID. *amor.* 3, 4, 17.

Ruit in vetitum damni secura libido. CLAUDIAN. *in Eutrop.* 2, 52.

Juvat inconcessa voluptas. OVID. *amor.* 3, 4, 31.

Illicita amantur; excidit quidquid licet. SEN. *Herc. Oet.* 357.

Via.

Nemo ire quemquam publica prohibet via. Plaut. *Curc.* 1, 1, 35.

Constitit nulli via nota magno.
Vade, qua tutum populo priori. Sen. *Med.* 603 *sq.*

Vicissitudo. Vices rerum.

Omnium rerum, heus, vicissitudo est. Terent. *Eun.* 2, 2, 45 (276).

Breves et mutabiles vices rerum sunt, et fortuna numquam simpliciter indulget. Curt. *de gest. Alex.* 4, 14 (54), 19.

Victor. Victoria.

Bis vincit, qui se vincit in victoria. P. Syri *sent.* 64.

Potest victoriam malle quam pacem animus. Liv. *hist.* 30, 30, 15.

Saepe utile vinci
victoris placidi fecit clementia multis. Ovid. *met.* 8, 56 *sq.*

Pacem reduci velle victori expedit,
victo necesse est. Sen. *Herc. fur.* 368 *sq.*

Quum victor arma posuit, et victum decet
deponere odia. Sen. *Herc. fur.* 409 *sq.*

Quodcumque libuit facere victori, licet. Sen. *Troad.* 335.

Nulla est victoria major,
quam quae confessos animo quoque subjugat hostes.
Claudian. *de* VI. *cons. Honor.* 248 *sq.*

Nulla perpetuam gratiam servat, nisi modesta victoria. QUINTIL. *decl.* 9, 19 *in.*

Inhonesta victoria est suos vincere. SEN. *de mor. no.* 68.

Vigilare.

Vigilare addecet qui sua volt temperi conficere negotia. PLAUT. *Rud.* 4, 2, 16 (921).

Vigilandum est semper: multae insidiae sunt bonis. POETA *ap.* CIC. *pro Planc.* 24, 59.

Villicus.

Praestat villicum magistrum esse operariorum, quam discipulum. COLUM. *de re rust.* 11, 1, 4.

Vincere se ipsum.

Est difficillimum se ipsum vincere. SEN. *de mor. no.* 82.

Fortior est qui cupiditatem vincit quam qui hostem subicit. SEN. *de mor. no.* 81.

Vindicta.

Minuet vindicta dolorem. OVID. *amor.* 1, 7, 63.

Vindicta
nemo magis gaudet quam femina. JUVEN. *sat.* 13, 191 *sq.*

Frequens vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat. SEN. *de clem.* 1, 8, 5 (6).

Saepe vindicta obfuit. SEN. *Herc. fur.* 1187. — *Cf.* **Ultio.**

Vinum.

Nimis vile est vinum atque amor,
si ebrio atque amanti impune facere quod lubeat licet.

PLAUT. *Aul.* 4, 10, 21 (753) *sq.*

Vino nihil jucundius quisquam bibit:
hoc aegritudinem ad medendam invenerunt,
hoc hilaritatis dulce seminarium,
hoc continet coagulum convivia. VARR. *sat. Menipp.* 30, 6 *ed. Oehler.*

Quis post vina gravem militiam aut pauperiem crepat?
quis non te potius, Bacche pater, teque, decens Venus?

HORAT. *carm.* 1, 18, 5 *sq.*

Condita . . . ferax aperit praecordia Liber. HORAT. *sat.* 1, 4, 89.

Fecundi calices quem non fecere disertum? HORAT. *epist.* 1, 5, 19.

Vino forma perit, vino corrumpitur aetas,
vino saepe suum nescit amica virum. PROPERT. *carm.* 2 (3), 33, 33 *sq.*

Vina parant animos faciuntque caloribus aptos:
cura fugit multo diluiturque mero. OVID. *art. am.* 1, 237 *sq.*

Vir.

Et non sentire mala sua non est hominis et non ferre non est viri. SEN. *de consol. ad Polyb.* 17 (36), 3 (2).

Haud est virile terga Fortunae dare. SEN. *Oedip.* 86.

Vir magnus, *vid.* **Magnus vir.**

Virtus.

Optumum est praemium virtus:
virtus omnibus rebus anteit profecto:
libertas, salus, vita, res et parentes
et patria et prognati tutantur, servantur:
virtus omnia in sese habet: omnia adsunt
bona, quem penes est virtus. PLAUT. *Amph.* 2, 2, 16 (648) *sqq.*

Difficile est primum virtutes revereri, qui semper secunda fortuna sit usus. CORNIF. *rhet.* 4, 17, 24.

Divitiarum et formae gloria fluxa atque fragilis est; virtus clara aeternaque habetur. SALLUST. *Catil.* 1, 4.

Nec vera virtus, quum semel excidit,
curat reponi deterioribus. HORAT. *carm.* 3, 5, 29 *sq.*

Virtutem incolumem odimus,
sublatam ex oculis quaerimus invidi. HORAT. *carm.* 3, 24, 31 *sq.*

Et genus et virtus nisi cum re vilior alga est. HORAT. *sat.* 2, 5, 8.

Vilius argentum est auro, virtutibus aurum. HORAT. *epist.* 1, 1, 52.

Oderunt peccare boni virtutis amore. HORAT. *epist.* 1, 16, 52.

Famam extendere factis,
hoc virtutis opus. VIRG. *Aen.* 10, 468 *sq.*

Invia virtuti nulla est via. OVID. *met.* 14, 113.

Et mala sunt vicina bonis. errore sub illo
pro vitio virtus crimina saepe tulit. Ovid. *remed. amor.* 323 *sq.*

Fraude perit virtus. Ovid. *fast.* 2, 227.

Nec facile invenias multis in milibus unum,
virtutem pretium qui putet esse sui. Ovid. *ex Pont.* 2, 3, 11 *sq.*

Mercede caret per seque petenda est
externis virtus incomitata bonis. Ovid. *ex Pont.* 2, 3, 35 *sq.*

Saepe honorata virtus est et ubi eam fefellit exitus. Sen. *excerpt. controv.* 4, 7. §. 3.

Virtutum omnium pretium in ipsis est. Sen. *epist.* 81, 17 (19).

Ipsa . . . virtus sibimet pulcherrima merces. Sil. It. *Punic.* 13, 663.

Ipsa . . . virtus pretium sibi. Claudian. *de cons. Mall. Theod.* 1.

Loquax est virtus nec ostendit se tantum, sed ingerit. Sen. *controv.* 5 (10), 31. §. 5.

Sola virtus praestat gaudium perpetuum, securum. Sen. *epist.* 27, 3.

Virtus omni loco nascitur. Sen. *epist.* 66, 3.

Virtuti ire retro non licet. Sen. *epist.* 66, 7.

Non dat natura virtutem: ars est bonum fieri. Sen. *epist.* 90, 45 (44).

Marcet sine adversario virtus. Sen. *de provid.* 2, 5 (4).

Calamitas virtutis occasio est. Sen. *de provid.* 4, 6.

Magno ubique pretio virtus aestimatur. VAL. MAX. *fact. et dict. mem.* 5, 4, 1.

Habet apud malos quoque multum auctoritatis virtus. QUINTIL. *decl.* 253. p. 36 *ed. Bip.*

Major famae sitis est quam
virtutis; quis enim virtutem amplectitur ipsam,
praemia si tollas? JUVEN. *sat.* 10, 140 *sq.*

Semita certe
tranquillae per virtutem patet unica vitae. JUVEN. *sat.* 10, 363 *sq.*

Prosperum ac felix scelus
virtus vocatur; sontibus parent boni. SEN. *Herc. fur.* 251 *sq.*

Numquam potest non esse virtuti locus. SEN. *Med.* 161.

Pulchrum eminere est inter illustres viros,
consulere patriae, parcere afflictis, fera
caede abstinere, tempus atque irae dare,
orbi quietem, seculo pacem suo.
Haec summa virtus. SEN. *Octav.* 472 *sq.*

Non est gemendus nec gravi urgendus nece,
Locum virtus habet inter astra. SEN. *Herc. Oet.* 1564.

virtute quisquis abstulit fatis iter. SEN. *Herc. Oet.* 1833 *sq.*

Virtus in astra tendit, in mortem timor. SEN. *Herc. Oet.* 1971.

Numquam Stygias fertur ad umbras
Inclita virtus. SEN. *Herc. Oet.* 1983 *sq.*

Vis.

Vis consili expers mole ruit sua;
vim temperatam di quoque provehunt
in majus; idem odere vires
omne nefas animo moventes. HORAT. *carm.* 3, 4, 65 *sqq.*

Cedit viribus aequum,
victaque pugnaci jura sub ense jacent. OVID. *trist.* 5, 7, 47 *sq.*

Vis magna vocem emittit, at major tenet. SEN. *Hippol.* 603.

Vita. Vivendi ratio. Vivere.

Vita quam sit brevis, cogita. PLAUT. *Most.* 3, 2, 37 (726).

Edepol proinde ut diu vivitur, bene vivitur. PLAUT. *Trin.* 1, 2, 27 (65).

Male vivunt, qui se semper victuros putant. P. SYRI *sent.* 273.

O vitam misero longam, felici brevem! P. SYRI *sent.* 353.

Ita vita est hominum, quasi quum ludas tesseris,
si illud quod maxume opus est jactu non cadit,
illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas. TERENT. *Adelph.* 4, 7, 21 (739) *sqq.*

Optima vivendi ratio est eligenda: eam jucundam consuetudo reddet. CORNIF. *rhet.* 4, 17, 24.

Omnes bene vivendi rationes in virtute sunt collocandae, propterea quod sola virtus in sua potestate est,

omnia praeter eam subjecta sunt sub fortunae dominationem. Cornif. *rhet.* 4, 17, 24.

Brevis a natura vita nobis data est, at memoria bene redditae vitae sempiterna. Cic. *orat. Phil.* 14, 12, 32.

Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectae perfecto functus est munere. Cic. *Tusc. disput.* 1, 45, 109.

Vitam regit fortuna, non sapientia. Cic. *Tusc. disput.* 5, 9, 25.

Tota flebilis vita est. Sen. *de consol. ad Marc.* 10, 5 (11, 1).

Omnis vita servitium est. Sen. *de tranqu. an.* 10, 3.

Hominis tota vita nihil aliud quam ad mortem iter est. Sen. *de consol. ad Polyb.* 11 (30), 1 (2).

Aristoteles dicitur dixisse: 'Ejus esse vitam beatissimam, cujus et fortunae sapientia et sapientiae fortuna suppeditet.' Rutil. Lup. *de fig. sent.* 1. §. 6.

Vive memor, quam sis aevi brevis. Horat. *sat.* 2, 6, 97.

Non vivere bonum est, sed bene vivere. itaque sapiens vivit, quantum debet, non quantum potest. Sen. *epist.* 70, 2 (3).

Quam bene vivas refert, non quam diu. Sen. *epist.* 101, 15.

Vita, si uti scias, longa est. Sen. *de brev. vit.* 2, 1.

Satis longa vita et in maximarum rerum consummationem large data est, si tota bene collocaretur. Sen. *de brev. vit.* 1, 3.

Si volueris attendere, maxima pars vitae elabitur male agentibus, magna nihil agentibus, tota vita aliud agentibus. SEN. *epist.* 1. §. 1.

Non potest quisquam beate degere, qui se tantum intuetur, qui omnia ad utilitates suas convertit: alteri vivas oportet, si vis tibi vivere. SEN. *epist.* 48, 2.

Sic vive cum hominibus, tamquam deus videat: sic loquere cum deo, tamquam homines audiant. SEN. *epist.* 10, 5.

Dum fata sinunt,
vivite laeti. properat cursu
vita citato volucrique die
rota praecipitis vertitur anni. SEN. *Herc. fur.* 177 *sqq.*

Bene vixit is, qui potuit quum voluit mori. P. SYRI *sent.* 57.

Vita beata, *vid.* **Beatus.**

Vitium.

Vitiis nemo sine nascitur; optimus ille est,
qui minimis urgetur. HORAT. *sat.* 1, 3, 68 *sq.*

Uni cuique dedit vitium natura creato. PROPERT. *carm.* 2 (3), 22, 17.

Iniquus est, qui commune vitium singulis objecit. SEN. *de ira* 3, 26, 2 (3).

Singulorum vitia nemo urbibus ascribit. SEN. *controv.* 4 (9), 25. §. 15.

Nemo paene sine vitio est. SEN. *controv.* 4 (9), 25. §. 16.

Vitia erunt, donec homines. TACIT. *hist.* 4, 74.

Adhuc nemo exstitit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio laederentur. PLIN. *paneg.* 4, 5.

Thrasea crebro dicere solebat: 'Qui vitia odit, homines odit.' PLIN. *epist.* 8, 22, 3.

Alitur vitium vivitque tegendo. VIRG. *georg.* 3, 454.

Mala sunt vicina bonis. errore sub illo
pro vitio virtus crimina saepe tulit. OVID. *rem. am.* 323 *sq.*

Hoc aequale omnium est, ut vitia sua excusare malint quam effugere. SEN. *controv.* 3 (7). *praef.* §. 4.

Nullum est vitium sine patrocinio. SEN. *epist.* 116, 2.

Vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt. SEN. *epist.* 45, 6 (7).

Fallit . . . vitium specie virtutis et umbra. JUVEN. *sat.* 14, 109.

Omne animi vitium tanto conspectius in se
crimen habet, quanto major qui peccat habetur. JUVEN. *sat.* 8, 140 *sq.*

Velocius et citius nos
corrumpunt vitiorum exempla domestica. JUVEN. *sat.* 14, 31 *sq.*

In vitium ducit culpae fuga, si caret arte. HORAT. *epist.* 2, 3, 31.

Amici vitia si feras, facias tua. P. SYRI *sent.* 21.

Quum vitia prosunt, peccat qui recte facit. P. SYRI *sent.* 110.

Voluntas. Velle.

Edepol voluntas homini rarenter venit. Caecil. *com. fr.* 135.

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas. Ovid. *ex Pont.* 3, 4, 79.

Voluntas impudicum, non corpus facit. P. Syri *sent.* 498.

Quoniam non potest id fieri quod vis,
id velis quod possit. Terent. *Andr.* 2, 1, 6 (305) *sq.*

Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno. Pers. *sat.* 5, 53.

Quod vult habet, qui velle quod satis est potest. P. Syri *sent.* 443.

Omnia honesta opera voluntas inchoat, occasio perficit. Sen. *excerpt. controv.* 4, 7. §. 3.

Voluptas.

Ubi voluptatem aegritudo vincat, quid ibi inest amoeni?
Plaut. *Merc.* 2, 3, 25 (359).

Voluptas tacita metus est magis quam gaudium. P. Syri *sent.* 499.

Maximas virtutes jacere omnes necesse est voluptate dominante. Cic. *de fin.* 2, 35, 117.

Omnibus in rebus voluptatibus maximis fastidium finitimum est. Cic. *de orat.* 3, 25, 100.

Non est tantum ab hostibus armatis aetati nostrae periculum, quantum ab circumfusis undique voluptatibus. Liv. *hist.* 30, 14, 6.

Sperne voluptates; nocet empta dolore voluptas.
HORAT. *epist.* 1, 2, 55.

Non in caro nidore voluptas
summa, sed in te ipso est. HORAT. *sat.* 2, 2, 19 *sq.*
Trahit sua quemque voluptas. VIRG. *ecl.* 2, 65.
Curae sua cuique voluptas. OVID. *art. am.* 1, 749.
Nulla est sincera voluptas. OVID. *met.* 7, 453.
Voluptati indulgere initium omnium malorum est.
SEN. *epist.* 110, 10.

Nulla est voluptas, quae non assiduitate fastidium pariat. PLIN. *nat. hist.* 12, 17 (40), 81.

Continuis voluptatibus vicina satietas. QUINTIL. *decl.* 306. p. 188 *ed. Bip.*

Voluptates commendat rarior usus. JUVEN. *sat.* 11. 208.

Vox.

Profecto ut gladius usu splendescit, situ robiginat, ita vox in vagina silentii condita diutino torpore hebetatur. APUL. *flor.* 3. *no.* 17. — *Cf.* **Verbum.**

Vulgus.

Scinditur incertum studia in contraria volgus. VIRG. *Aen.* 2, 39.
Falso plurima vulgus amat. TIBULL. *carm.* 3, 3, 20.
Mobile mutatur semper cum principe vulgus. CLAUDIAN. *de* IIII. *cons. Honor.* 302.

Calcat jacentem vulgus, invisum opprimit. SEN. *Octav.* 455.

Sic est vulgus: ex veritate pauca, ex opinione multa aestimat. Cic. *pro Rosc. com.* 10, 29.

Vulgus veritatis pessimus interpres. Sen. *de vit. beat.* 2, 1 (2).

Vultus.

E tacito vultu scire futura licet. Ovid. *amor.* 1, 11, 18.

Saepe tacens vocem verbaque vultus habet. Ovid. *art. am.* 1, 574.

Saepe tacens odii semina vultus habet. Ovid. *art. am.* 3, 512.

Heu quam difficile est crimen non prodere vultu! Ovid. *met.* 2, 447.

Multa . . . trepidus solet
detegere vultus. Sen. *Thyest.* 330 *sq.*

LIPSIAE EX OFFICINA BAERI ET HERMANNI.

